DISSERTATIO PHILOLOGICO-JURIDICA INAUGURALIS,

DE

MEDICINÆ, LITERARUM AC LEGUM DOCTORIBUS, EORUMQUE PRIVILEGIIS ET SALARIIS.

Ad illustrandam L. 6. C. de Prof. & Med.

QUAM,

FAVENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate MAGNIFICI RECTORIS,

D. DAVIDIS VAN ROYEN,

MEDICINÆ DOCTORIS, BOTANICES IN ACAD. LUGD. BAT. PROFESSORIS ORDINARII,

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *Consensu*, *& Nobilissimæ* FACULTATIS JURIDICÆ *Decreto*,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis, rite ac legitime consequendis,

Eruditorum Examini submittit

JOHANNES ADRIANUS BICHON,

ROTTERODAMO-BATAVUS.

Ad diem 7. *Februarii* MDCCLXIV. *H. L. Q. S.*

Instrue præceptis animum, nec discere cesses;
Nam sine Doctrina vita est quasi mortis imago.

CATON. de moribus, *lib.* 3. *dist.* 1.

LUGDUNI BATAVORUM,

Apud ABRAHAMUM KALLEWIER, 1764.

Doctrinæ res tractare non solum docti hominis est, verum ejus etiam, qui ad Doctrinam adspirat.



NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, GRAVISSIMO

VIRO

D. JANO BICHON, J. U. D.

TOPARCHÆ IN ISELMUNDA: CIVITATIS ROTTERODAMENSIS SENATORI, AC SÆPIUS CONSULI: EJUSDEMQUE NOMINE AD COLLEGIUM ARCHITALASSICUM, QUOD AD MOSAM EST, DELEGATO: SOCIETATIS INDIÆ ORIENTALIS CUJUS STATIO ROTTERODAMI EST, MODERATORI, ETC. ETC.

PATRI SUO OPTIMO, CARISSIMO, OMNI, QUO FILIUM DECET, AMORE, OBSEQUIO, AC SUMMA PIETATE, DUM VITALI HAC FRUETUR AURA, DILIGENDO, COLENDO, VENERANDO.

Hasce studiorum suorum primitias, in perpetuum grati animi τεκμήριον *ea, qua par est, reverentia*

D. D. D.

JOHANNES ADRIANUS BICHON.
AUCTOR.

ERRATA.

Pag.	7.	Lin.	14.	*Adtiq.*	Lege	*Antiq.*
	10.	- - -	36.	*civilis*	- - -	*civiles*
	11.	- - -	24.	enarrentur	- - -	enarrarentur
	17.	- - -	20.	*veberari*	- - -	*verberari*
	19.	- - -	27.	profuturus	- - -	profuturis
	25.	- - -	29.	Commnnis	- - -	Communis
	31.	- - -	1.	*ſtediofis*	- - -	*ſtudiofis*
		- - -	24.	ψρείας	- - -	χρείας
	39.	- - -	37.	*Philos.*	- - -	*Philol.*
	40.	- - -	1.	ταύματα	- - -	τραύματα
	41.	- - -	4.	Ἄεχοτος	- - -	Ἄρχοντος
		- - -	18.	Epiſcorum	- - -	Epiſcoporum
	44.	- - -	34.	& *Archiatris*	- - -	& *ex Archiatris*
	54.	- - -	16.	*lireratorii*	- - -	*literatorii*
	60.	- - -	26.	Agippina	- - -	Agrippina
	63.	- - -	4.	*Solario*	- - -	*Salario*
		- - -	21, 22.	*Profeſſoribus*	- - -	a *Profeſſoribus*
	66.	- - -	9.	præpronuntur	- - -	præponuntur
	73.	- - -	21.	*accuſat.*	- - -	*excuſat.*
	77.	- - -	32.	ac aliis	- - -	ab aliis
	90.	- - -	16.	*adoloſcentiam*	- - -	*adoleſcentiam*
	97.	- - -	29.	commodare	- - -	commendare
	98.	- - -	34.	GRÆVII	- - -	GRONOVII
	114.	- - -	3.	STROBÆUS	- - -	STOBÆUS
	119.	- - -	34.	*Avocatis*	- - -	*Advocatis*




DISSERTATIO PHILOLOGICO-JURIDICA INAUGURALIS,

DE

MEDICINÆ, LITERARUM AC LEGUM DOCTORIBUS, EORUMQUE PRIVILEGIIS ET SALARIIS.

Ad illuſtrandam L. 6. Cod. de Profeſſ. & Med.



CAPUT PRIMUM.

De Conſtantini M. Eruditione ac favore in Litteras.

§. I.



Dum univerſus, qua patet, Chriſtianus orbis Imperatorem CONSTANTINUM M. ſaluberrimæ noſtræ Legis conditorem, ejusque excellentes virtutes immenſis laudibus ad cœlum usque ſemper evexit, ab inſtituto noſtro non quidem putavimus alienum, ſi de ſingulari Legislatoris Eruditione, ac ſummo & conſtanti in Literas Literatosque favore aliquid præfari in animum induxerimus: atque hoc eo magis, quod nobis cognitum eſt atque compertum, hujus rei tractationem

tionem non ubivis se obviam dare. Præterquam enim quod constat hujus Imperatoris res perplexe aut jejune tradi ab Historicis, ita & de ortu ejus, & quomodo vivente patre Constantio educatione doctrinaque puerili fuerit institutus, nihil fere, præter patriam & parentes, memorabile a veteribus nobis est servatum. Solus Auctor Anonymus, cujus *Excerpta* de Constantio, Constantino M. & aliis Imperatoribus primus in lucem protulit VALESIUS, *ad calcem suæ Ammiani Marcellini editionis*, (quæque *Excerpta* recusa etiam sunt a SIMONE PAULI, *in Miscellis antiquæ Lectionis:* & dein a GRONOVIO adjecta *Ammiano*) refert, *Constantinum natum fuisse Helena matre vilissima in oppido Naiso, atque eductum, quod oppidum postea magnifice ornavit, litteris minus instructum.* Nomen hujus oppidi *Naisus* varie scribitur apud veteres, estque hodie, ut creditur rationibus longe verisimilibus, *Nissa*, urbs haud ignobilis, a Tauruno Constantinopolim ferente. Vide CELLARII *Geograp. antiq. lib.* 2. *cap.* 8. §. 53. Illam urbem seu oppidum revera Constantini patriam fuisse, inde fit probabilius, quia is sæpe ibi constitit, multasque tulit leges, quæ in *Cod. Theod.* leguntur; & quia etiam hoc *oppidum postea magnifice ornavit*, ut *d. l.* narratur. Quamobrem a STEPHANO BYZANT. urbs ista Ναϊσός vocatur κτίσμα καὶ πατρὶς Κωνσταντίνου, *opus & patria Constantini:* veruntamen quod ita non est interpretandum, ac si Constantinus hanc urbem, in qua natus erat, de novo condidisset: κτίσειν enim, unde κτίσμα, hoc loco nihil aliud denotat, quam instaurare, exornare, vel novis ædificiis urbem amplificare. Vide BERKELIUM *ad h. l.*

§. II. Quod autem ignotus Auctor porro asserit, Constantinum puerili ætate *litteris minus instructum* fuisse, hac de re non solum apud cunctos alios Scriptores veteres altum est silentium, verum & nequaquam verisimile videtur, dummodo consideremus, educatum eum fuisse ab optimo parente Constantio Chloro, qui & ipse egregie eruditus erat, & Litterarum summum fautorem ac patronum præstitit: quinetiam bonis artibus, ubique locorum tunc exulantibus, vitam & libertatem reddidit. Inspiciendus modo LACTANTIUS *de mort. Persecut. cap.* 22. ubi miseram Litterarum faciem, sub imp. Galerio Maximiano, quocum Constantius una regnavit, vivis hisce coloribus triste depingit: *Eloquentia extincta, causidici sublati, jureconsulti aut relegati aut necati. Litteræ autem inter malas artes habitæ, & qui*

eas

eas noverant, *pro inimicis hostibusque protriti & execrati. Licentia rerum omnium*, *solutis legibus*, *adsumpta & judicibus data. Judices militares*; *humanitatis litteralis rudes*, *sine adsessoribus in provincias immissi.* Verum Constantius Magistris disciplinarum sapientiæque Doctoribus summum habuit honorem, adeo ut sub eo & spiritum & sanguinem & patriam recepisse videantur Studia, quæ barbari ejus temporis Principes, velut pestem aliquam patriæ, aversari & propellere omnes jusserant. Quantam vero hic Imperator scholis ac litterarum officinis tuendis impenderit curam, quamque liberaliter suppeditarit omnia, ut artes & scientiæ florerent, utque adolescentes litteris & ingenuis artibus erudirentur; vel ex unius EUMENII Rhetoris, qui eo tempore Scholis Cliviensium præfectus fuit, *Oratione ad Galliarum præsidem*, laudis & gratulationis justissimæ plena, satis intelligi potest. Nec minus ex ipsius CONSTANTII *Epistola ad Eumenium*, quam hic recenset dicta *Oratione pro restaurandis Scholis*, *cap.* 14. Inter alia *cap. 6.* magnificis hisce verbis Constantii laudes celebrat: *In quo ego*, inquit, *nihil laudi meæ tribuo*, *sed domini nostri Constantii*, *vere Principis juventutis*, *incredibilem erga juventutem Galliarum suarum sollicitudinem atque indulgentiam mirari satis nequeo.* Vide & BURCHARDUM *de ling. Lat. in Germ. fatis*, *tom.* 1. *p.* 43. & *tom.* 2. *p.* 24. Quis autem, rebus illis bene consideratis, persuadere sibi posset, ut crederet, a tam erudito parente, cujus *incredibilis erga juventutem sollicitudo* maximopere prædicabatur, adeo negligenter educatum fuisse Constantinum M. filium natu maximum, quo nemo patri carior, ut *litteris minus instructus* evaderet? Nonne potius longe verisimilius videtur ac probabilius, illum ab ineunte ætate paterna cura & domestico exemplo ita eductum fuisse, ut litteris tum Græcis tum Latinis, aliisque artibus ac disciplinis bene excultus, per totam dein vitam in illis tuendis & propagandis omnem operam strenue impenderit? Quod testimonio PRAXAGORÆ Atheniensis apud PHOTIUM, *Cod.* 62. magis confirmatur, qui tradit, Constantium patrem filium Constantinum ad Diocletianum Nicomediam misisse παιδευθησόμενον, *ad erudiendum*; vel ut in aula Imperatoris, (quem *diligentissimum & solertissimum Principem* vocat EUTROPIUS, *lib. 9. cap.* 16.) addisceret, quæ ipsi quandoque ad imperandum futura essent necessaria. Vide CUPERI *not. ad Lactantium p.* 171.

§. III. Verum quanquam de Constantini educatione veterum testimoniis parum constat, nihilominus tamen negari nequit, omni politiore literatura liberaliter eum institutum fuisse, ac summo ingenio, magnaque rerum tam divinarum quam humanarum scientia excelluisse. Id quod eruditorum unanimo consensu facile probatur. Inter plurimos vide *Centur. Magdeburg. cent.* 4. *cap.* 3. *p.* 32. GOTHOFRED. *ad L.* I. *Cod. Theod. de Med. & Prof.* CAVEI *Hist. Litter. p.* 96. J. C. SAGITTARII *Dissert. de Constantino M.* quæ exstat inter *Dissert. ej. select.* §. 10. *p.* 709. & §. 56. *p.* 727. CELLARII *Dissert. Academ. p.* 326. §. 25. MATTHIÆ *Theat. Hist. p.* 659. BALDUINUM *de Constantini Legibus p.* 123 *& seq. edit. Gundlingii.* Sed quid opus est, ad recentiores nos ut convertamus, dum luculenta adsunt veteris ævi testimonia, atque ipsorum quidem Gentilium, qui Imperatorem nostrum ut virum litteratum, & doctorum ac litterarum summum patronum maximopere laudant. Sic AUREL. VICTOR, seu quisquis tandem fuerit Epitomes auctor, eum celebrat, *cap.* 41, ut qui *artes bonas nutrivit, præcipue studia litterarum*; cuique in more fuit, *legere, scribere, meditari.* Et de *Cæsaribus, cap.* 40. ejus *Eruditionem, Elegantiam, Comitatem* tantopere laudibus effert, proinde ac quæ ipsum, *quanquam cæteris promptum virtutibus, ad usque astra votis omnium subvexerint.* Nec aliter EUTROPIUS, qui cum hoc elogio ornat, *lib.* 10. *cap.* 4. *Civilibus artibus & liberalibus studiis deditus; adfectator justi amoris, quem ab omnibus sibi & liberalitate & docilitate quæsivit.* Quod & innuit PROTAGORAS, tametsi gentium sectæ quoque adhærens, apud PHOTIUM, *Cod.* 62. *p.* 66. ubi refert, *omni virtutum atque honestatis genere, omnique adeo felicitate, omnes omnino qui antecesserint Imperatores, facile obscurasse Constantinum.* Quibus adde OPTATIANUM PORPHYRIUM Christianum, panegyrici *Poëmatis in laudem Constantini* conditorem, cujus meminit EUSEBIUS *in Chron. ad an. Chris.* 330 & SCALIGER *in Animadvers. p.* 250. de quo plura vide apud FABRICIUM *Bibl. lat. med. & infim. ætat. tom.* 5. *p.* 495 *& seq.* Hic in *Epistola ad ipsummet Constantinum* (quæ una cum *Constantini ad Porphyrium Epistola*, Poëmatio præmissa, MARCI VELSERI *Operibus, edit. Chr. Arnoldi, Nor.* 1682. subjecta est) litterariam ejus laudem hisce verbis extollit: *Cælestis judicii dignatione immensum mibi pondus impositum est, ejus Imperatoris testimonio, qui inter belli pa-*

cis-

sisque virtutes, inter triumphos & laureas, inter legum sanctiones & jura, etiam Musis tibi familiaribus adeo vacas, ut inter tot divinæ Majestatis insignia, quibus invictus semper inprimis es, hujus etiam studii in te micet splendor egregius. Cui inter alia ita respondit Constantinus *Epistola ad Porphyrium*, (quæ & recensetur a CAVEO, *Hist. Lit. script. Eccles. p. 97. edit. Genev.*) *Defuit quorundam ingeniis Imperatorum favor, qui non secus doctrinæ deditas mentes irrigare atque alere consuevit, quasi clivosi tramitis supercilio rivus elicitus, scaturientibus venis arva arentia temperavit. Seculo meo scribentes dicentesque non aliter benignus auditus, quam lenis aura prosequitur: denique etiam Studiis meritum a me testimonium non negatur.* Cujus rei postea bene memor filius ejus Constantius, quando *Themistium* clarissimum Philosophum & Oratorem Romano senatui adjungere placuit, hisce verbis grate ac libenter orationi suæ pro Themistio, cujus & meminit PHOTIUS, *in Bibliot. cod.* 74. finem imponebat: *Ex his ergo tantis ac talibus hactenus a me dictis patet, quod in Themistium beneficium contuli, me in vos quoque contulisse: illudque pro certissimo habeo, me maxime Parenti meo gratificari, non templum aliquod aut gymnasium Divi titulo inscriptum, sed virum bonum illi dicando consecrandoque.* Vide THEMISTII *Orationes, p.* 23. *edit. Harduini.* Nec mirum alicui debet videri, EUSEBIUM in panegyricis *de vita Constantini* libris nil nobis de studiis ejus Litterariis dignum memorasse, dum ipsemet testatur, *lib.* I. *cap.* II. *instituti operis argumentum eum admonere, ut ea sola, quæ ad Dei cultum pertinent, dicendo ac scribendo persequatur.* Scripsit enim potius ut Theologus, non ut Litterator. Quamobrem etiam non nisi Divinarum rerum scientiam, qua Imperator Maximus longe excelluit, merito laudare ipsi in animo fuit. Deque illa refert, *lib.* 4. *cap.* 29. *Quin & totas interdum noctes Vigil traducebat, suam ipsi mentem divinarum rerum meditatione instruens. Et per otium scribendis orationibus vacans, crebras habebat conciones.* Et *lib.* 4. *cap.* 55. *Imperator vero tanta sermonum scientia animum instruxerat, ut ad ultimum usque diem vitæ orationes conscriberet more solito, & conciones haberet.* Vide & *lib.* I. *cap.* 32. & *lib.* 4. *cap.* 17. Atque sic Principem præstitit Constantinus vere Christianum. Veruntamen EUSEBIUS, *lib.* I. *cap.* 19. Imperatoris adolescentiam depingens, nominatim Litterariæ ejus eruditionis hisce verbis quoque meminit: *Ac primum quidem modestia animum exornavit: deinde* παιδεύσει λόγων, *humanioribus disciplinis*, (seu ut ver-

tit CHRISTOPHORSONUS, *politiore literatura:) & tum innata prudentia, tum sapientia divinitus infusa non mediocriter eum excoluit.* Nec etiam Græcæ linguæ penitus fuit ignarus, teste SOZOMENO, *lib.* 1. *cap.* 20.

§. IV. Manifesta porro Constantini Eruditio est, ipsiusmet *Epistolis*, quæ complures ab EUSEBIO & aliis sunt servatæ, quæque a CAVEO *in Hist. Liter.* diligenter recensentur: cui adde FABRICII *Bibliot. Græc. lib.* 5. *cap.* 3. §. 2. & DUPINII *Bibliot. Auct. Eccles. tom.* 2. *p.* 31. *& seq.* quanquam longe plures perierunt. Narrat enim EUSEBIUS, *lib.* 3. *cap.* 24. *de vita Constantini*, eum *alia plurima ejusmodi scripsisse, ac pœne innumerabiles exarasse Epistolas:* quas separato volumine colligere ipsi in animo fuit, verum quod non videtur unquam præstitisse: vel saltem illa collectio jamdudum periit. Nec non ejus *Orationibus*, quarum una *ad Sanctorum cœtum* ab H. VALESIO laudatur, ut *eximium monumentum religiosi Principis, ejusque studiorum & ingenii illustre specimen:* & a DUPINIO, *l. c. p.* 30. ut *tota sublimis, & tanti Imperatoris, ac Constantini, Majestate digna:* quæque ad calcem librorum EUSEBII *de Constantini vita* legitur, cum græca e latino versione ab ignoto interprete, cumque eruditis VALESII notis. Vide & MIRÆI *Auctarium de Script. Eccles. ad num.* 24. Altera brevior quidem ad *Synodum Nicœnam de Pace*, e latino quoque a nescio quo græce versa, quam EUSEBIUS exhibet *lib.* 3. *cap.* 12. *de vita Constantini.* Aliam autem ab hac, multoque prolixiorem, GELASIUS CYZICENUS *Historiæ Conc. Nicæn. lib.* 2. *cap.* 7. inseruit, quam tamen sub nomine Constantini ex Historici ingenio fictam non immerito quis suspicari possit. Quidquid sit, Constantinum diligenter legisse gentilium Philosophos, satis liquet ex *cap.* 9. *dictæ Orationis ad Sanctorum cœtum*, ubi judicium suum profert de obscura Platonis Philosophia: qua de re videndus MOSHEMIUS *in not. ad Cudworthi systema intellectuale*, *p.* 678. Sic & valde delectatum fuisse Virgilii lectione, quem laudat ut *principem Latinorum Poëtarum*, & *virum admirabilem, omnique doctrinæ genere excultum*, nec non *poëtarum sapientissimum*, indicant *capita* 19. 20. 21. Verum quod refert BLACKWALLUS, *de præst. clas. Auct. p.* 161. Imperatorem nostrum & *Polybium Historicum diligenter legisse*, nescio unde habet. Videtur potius nomine Imp. *Constantini Porphyrogeniti* deceptus, Leonis Philosophi filii, qui suo tempore ex Historicis

ricis

ricis quasi flores in unum collegit Corpus, inque 53. partes digessit, cujus egregii Operis non nisi duo Libri ad nos pervenerunt; alter *de Legationibus*, a FULV. URSINO & DAV. HOESCHELIO editus; alter *de Virtute & Vitio*: quos NIC. PEIRESCIUS ære suo redemit, ac Græce Latineque HENR. VALESIUS edidit. In iis enim, ut ut paucis, quæ servavit nobis PEIRESCIUS, occurrunt aliqua e libris *Polybii* excerpta ex quibus abunde constat, quantum *Constantinus Porphyrogenitus* Augustus, (vir doctus ac sapiens, litterarum & litteratorum amantissimus, ut laudatur a MIRÆO *in Auctario, ad num.* 305.] fecerit *Polybium*: qua de re videndus CASAUBONUS, in præstantissima *Dedicat. Henr.* 4. præfixa tertio volum. *Polyb, p.* 17. & 24. *edit: Gronov.* & MORHOFII *Polyhist. tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 13. §. 18. Confer & CONRINGII *Supplem.* 24. *dissert. de Adtiq. Acad.* §. 4.

§. V. Ad Constantinum M. vero ut revertamur, longe equidem plura in medium possunt afferri, e quibus laudabilis ejus in optimarum artium studia ac litteras amor facile elucerет. Nec immerito huc videtur referendus summus ille favor atque benevolentia, qua ducebatur erga Athenas, celeberrimum olim Doctrinarum pavimentum, cujus rei meminit ipsemet JULIANUS, *Orat.* 1. *p.* 8. ubi in optimi Imperatoris laudem ita effatur: *Hic ego forsitan Athenarum celeberrimæ urbis mentionem opportune fecero, quibus ille* (Magnus videlicet Constantinus) *perpetuo summum cum factis, tum verbis honorem habuit: cumque Princeps omnium esset ac Dominus, Ducem se nihilominus illorum appellari voluit: atque ejusmodi imagine & inscriptione donatus, impensius lætabatur, quam si amplissimis esset honoribus affectus. Cæterum ut ob eam rem civitati gratiam referret, tritici medimnorum millia multa quotannis assignavit. Qua ex re cum urbi ipsi summa rerum omnium ubertas atque affluentia; tum illi laudes & honores ab optimis viris contigerunt.* Vide & MEURSIUM *de fortuna Athenarum, cap.* 10. in GRONOVII *Thes. Antiq. Gr. tom.* 5. *p.* 1750. Attamen insita erat Juliano erga Constantinum, quanquam patruum, neque de eo male ullatenus meritum, qui sexenni adhuc Juliano fato fuerat functus, singularis quædam malevolentia; eaque ob unum adsertum ab eo propugnatumque feliciter Christianæ religionis cultum, clausaque gentilium templa. Verum egregie illum contra obtrectationes *Juliani* defendit illust. SPANHEMIUS, *in not. ad ejus Orat.* 1.

ubi

ubi *p.* 83. afferit, Conftantinum *longe cunctis, quæque maxime Imperatorem decent, pacis belliquе artibus filium Conftantium fuperaſſe.* Quod inter alia & confirmat LIBANII teftimonio, qui licet gentilis non dubitavit fummarum laudum hoc præconio ipfum ornare, *uno* nimirum *omnium confenfu omnes ante fe retro Principes, quum virtute bellica, tum cæteris omnibus laudibus, cunctisque quæ ad virtutem contendunt, anteiiſſe.* Nec JULIANUS tantum, fed & ex ethnicis ZOSIMUS, *lib.* 2. *Hift.* Conftantini memoriæ iniquior fuit. Verum utriusque criminationibus ac conviciis obviam ivere BARONIUS, JOH. MORINUS, TILLEMONTIUS, aliique, qui recenfentur a C. M. PFAFFIO *in Inft. Hift. Ecclef. ad fec.* 4. *p.* 194. & J. A. FABRICIO *in Salut. Luce Euang. cap.* 12. *p.* 264. *& feq.* Et licet Jo. LEUNCLAVIUS eruditiffimam pro *Zofimo* fcripferit apologiam, absque omni tamen dubio eft, Chriftianis Imperatoribus eum longe iniquiorem fe præbuiffe, & Conftantino M. inprimis infenfiffimum, cujus actiones omnes, quantum valuit, in malam partem interpretatus eft: & quoties vel levem rationem inveniffe putat, non definit illum fugillare, & vel optimas ejus res reprehendere: nec ipfe acerrimus deorum gentilium cultor diffimulat rationem, fed præ fe aperte fert, veterum videlicet facrorum immutationem, cui efficiendæ totum fe dedit Imperator nofter. Cætera autem quod attinet, fi inter fe comparemus, & æqua libremus lance, quæ ab hac parte Panegyrici *Eufebius* & *Eumenius*, aliique veteres in ejus laudem; ab altera obtrectatores famæ ejus *Julianus* & *Zofimus* in ejus vituperium fcripferunt; longe hic Princeps major erit virtutibus, quam vitiis. Fuit enim fupra modum munificus, liberalis, fplendidus, laudis amans; & five ejus vivendi modus & politica, five præclara ejus gefta fpectentur, five denique confiderentur ingentia beneficia, quibus Chriftianam ecclefiam cumulavit, merito omnium Principum, qui unquam regnarunt, fi non maximus fuerit, certe Imperatorem præftitit optimum & laudatiffimum, elegantiæ omnis & litterarum non patronum tantum, fed & cultorem.

§. VI. Hinc & liberos fuos diligenter erudiri, & pietate non folum, verum & civilibus artibus, ac liberalibus ftudiis educari voluiffe, auctor nobis eft EUSEBIUS *lib.* 4. *cap.* 51. *de vita Conftantini: Pietatis*, inquit, *femina eorum mentibus infperfit, partim divinis documentis ipfe eos imbuens, partim magiftros eis appo-*

apponens compertæ religionis viros. Sæcularibus quoque disciplinarum peritissimos doctores iisdem præfecit. Alii bellicæ artis scientia, alii civilium rerum præceptis eos informabant, alii denique Jurisprudentia. Quod & confirmat AUSONIUS, *in Grat. Act. p.* 712. *edit. Tollii*, hisce verbis: *Nolo Constantini temporum taxare collegas: Cæsares docebantur.* Ubi per *Cæsares* intelligit filios hujus Imperatoris, qui laudabili cura optimi Parentis omni scientiarum genere erudiebantur. *Constantinum Augustum*, ut annotat VINETUS *ad h. l. bonas artes plurimi fecisse, præcipue studia Litterarum, scribit Aurel. Victor.* Præterea & filios Dalmatii fratris, quem una cum suis filiis Cæsarem imperiique hæredem esse jusserat Constantinus, ab Exuperio, Celeber. Rhetore Tolosæ, optimis studiis imbutos fuisse, tradit idem AUSONIUS, illius laudem inter *Profess. Burdigal. Epigram.* 17. ita decantans:

Illic Dalmatio genitos, fatalia regum
Nomina, tum pueros, grandi mercede docendi
Formasti Rhetor, metam prope puberis ævi.

Illud autem factum circa an. Christ. 336. adeoque Constantino adhuc vivente. Vide DE HAUTESERRE *rer. Aquitan. lib.* 5. *cap.* 1. & SCALIGERUM *in not. ad Auson. lib.* 1. *cap.* 12. Inprimis vero memorandum, Magnum Imperatorem in tanto pretio habuisse *Lactantium*, virum omnium suo tempore eruditissimum, qui Nicomediæ rhetoricam docebat, ut eum in Galliam accessiverit, ad Crispi filii natu maximi, magnæque spei Principis juvenilem ætatem nobilioribus artibus ac scientiis, præsertim Latinis literis erudiendam: quod solus EUSEBIUS, *in Chron. ad an. Christ.* 318. nobis conservavit. Vide DUPINII *Bibl. Auct. Eccles. tom.* 1. *p.* 319. BALUZII *not. ad Lactant. de Mort. Pers. p.* 4. *& seq.* CAVEI *Hist. Lit. p.* 81. & *Vitam Lactantii* præmis. ejus *Operibus*, edit. nuper in Gallia.

§. VII. Attamen vero negari nequit, novam rerum atque imperii faciem, quæ a Constantino M. introducta est, insignem non modo in Rempublicam traxisse commutationem, totamque magistratuum, ac veteris sive civilis sive bellicæ administrationis rationem pervertisse: verum etiam Latinæ linguæ adhuc vacillantis genium veramque indolem maximopere tot aliarum gentium tumore & licentia turbasse. Vide FUNCCIUM *de Vegeta Lat. ling. senect. p.* 12. *& seq.* Nec facile quis ierit

 infi-

inficias, vetera paganorum Studia Litteraria per propagatum in orbe Christianismum haud exiguum detrimentum accepisse; dum constat, antiquioris ecclesiæ Doctores castitatem atque elegantiam Latinæ linguæ parum curasse, eorumque curam in eo præsertim positam fuisse, ut remoto sermonis ornatu libros suos flosculis Sacrarum Litterarum potissimum adornarent, simplicique oratione, quæ ad leges castitatis atque elegantiæ minus erat composita. Etenim existimabant, oracula Dei Christianis hominibus explicanda esse vulgari sermone, quibus elegans, suavis, magnifica, & more veterum Romanorum composita oratio haud conveniret: quod dictis & exemplis *Cypriani*, *Augustini*, *Hieronymi*, *Gregorii Magni*, aliorumque facile posset adstrui. Confer WALCHII *Hist. crit. Lat. ling. p.* 638. *& seq.* Sed ne justo verbosius pro instituti nostri ratione hanc materiam persequamur, illud solum dicendum, Constantinum Imperatorem nihilominus, quantum valuit, ad tuenda & promovenda Litterarum studia omnem intendisse animum, omnemque operam dedisse, ut ex religionis mutatione cunctis omnino artibus ac litteratis benignum fatum exoriretur. Quód ipsi quoque bene successit, siquidem abolita hominum profanorum superstitione, & idolorum cultu profligato, sanctior ac sanior disciplina veraque sapientia ubique locorum introducta est; & docentium atque discentium collegia condita, quibus ad immortalem nominis gloriam Imperator, pro insigni liberalitate sua, reditus amplissimos constituit. Videbat scilicet, quam pulchre & utiliter ubicunque florerent profanorum academiæ; atque facile intelligens, sine optimarum artium & sanioris disciplinæ officinis nec Ecclesiam nec Rempublicam stabili salute posse potiri, in illis igitur tuendis propagandisque insignem curam & operam impendit. Per universum enim imperium in celebrioribus urbibus Scholas quam plurimas aut ipse adornavit, aut veteres restauravit, immunitateque Doctoribus concessa nobilitare ac florentes reddere studuit. Vide MICRÆLII *Synt. Hist. Eccles. p.* 376. De Urbe Roma autem diserte id testatur PAULUS DIACONUS *in Miscella Hist. lib.* 10. *cap.* 13. *Constantinus M.*, inquit, *civilis nutrire artes*, *præcipue studia Literarum quæsivit. In illustribus domibus eos, qui in Urbe Roma erant, viros rationabiles collocavit.* Neque dubitandum videtur, quin & Constantinopoli Grammaticis & Rhetoribus struxerit ἀκροατήριον, sive locum, in quo audiuntur recitationes, aut in

quo

quo auditur Præceptor. Vide STEPHANI *Thes. ling. Græc. tom.* 1. *pag.* 296. Quanam vero ratione id ipsum ibi omiserit, quum omni ex parte hanc Urbem Romæ veteri æqualem reddere moliebatur? Certe circa illud tempus & hic fuisse ejusmodi ædes seu Auditoria, clare liquet ex dicti PAULI verbis, quæ *lib.* 11. *cap.* 24. sequuntur: *Gallus*, inquit, *circa Ephesum apud doctores erat. Porro Julianus & Crescens in auditoriis Constantinopolitanæ urbis exercebantur, in Basilica, ubi doctores erant.* Hæcce auditoria sive Scholæ Constantinopol. laudantur a GREGORIO NAZIANZENO, *orat. in laudem Basilii*; quas ait excellentissimis Oratoribus atque Philosophis fuisse refertas, in eisdemque Basilium tyrocinium exegisse tradit. Vide BARONII *Annales ad an.* 330. *num.* 25. & *Centur. Magdeburg. cent.* 4. *cap.* 7. *p.* 287. SEVERIN. BINIUS, qui quæ habet potissimum ex *Baronio* compilavit, *in not. ad Conc. Constantinop.* 1. diserte tradit, Constantinum M. Constantinopoli, *ne qua urbis perfectio desiderari posset, scientiarum scholas ædificasse, & excellentissimos oratores ac philosophos adhibuisse, eosque amplissimis privilegiis donasse.* Vide LABBEI *Concil. tom.* 2. *p.* 967. Confer & CONRINGII *Dissert.* 1. *de Antiq. Academ.* §. 28. Præterea voluit Constantinus, magnus ille libertatis Christianæ assertor, ut quælibet Ecclesia suam haberet Scholam, qua religionis prima elementa viva traderentur voce, & Literarum sacrarum libri enarrentur. Hæc doctorum atque discipulorum collegia & ordines, quibus quoddam seminarium quasi & certa progago est Ecclesiæ, & sine quibus religio nulla persistere potest, Imperator studiose tueri, perquam liberaliter augere & omnibus modis ornare visus est. Videatur FUNCCIUS *de Vegeta Lat. ling. senect. p.* 115.

§. VIII. Nec minus de Bibliothecis in usum Christianorum suorum constituendis sollicitus fuit, bene conscius, quantum hæ valeant, ad rem Litterariam non solum, verum & Religionis negotium feliciter promovendum. Voluit igitur more gentilium qui templis suis præstantissimas adjungebant Bibliothecas, Christianorum etiam templa quam selectissimis ornari ejusmodi librorum thesauris, in quibus colligendis atque conservandis plurimum impensarum & industriæ posuit. Horum meminit HIERONYMUS, *Epist.* 58, *ad Pammachium*, ubi non obscure innuit, tanto subsidio Ecclesias post auspicatissimum Constantini inperium imprimis gavisse. *Revolve*, inquit, *omni-*

um, *quos supra memoravi commentarios*, *& Ecclesiarum Bibliothecis fruere*. Legitur adhuc Constantini *Epistola ad Eusebium*, qui ei a Bibliotheca fuit, certe a consiliis, *de conficiendis sacris Codicibus*, in *lib.* 4. *cap.* 36. *de vita Const.* & quomodo hi Codices confecti fuerint, *cap. seq.*, ubi tradit EUSEBIUS, *se in voluminibus magnifice ornatis terniones & quaterniones ad Imperatorem misisse:* ad *quem l.* vide VALESII *not.* Cujus rei meminit quoque THEOPHANES *in Chronographia ad A. M.* 5817. *Constantini* 21. apud HANKIUM *de Byzantin. rer. Scriptoribus*, *par.* 1. *cap.* 1. §. 153. *Denique*, inquit, *in Ecclesiarum Constantinopolis gratiam Eusebium Pamphili*, *suppeditatis ex ærario publico expensis*, *jussit Imperator sacros libros colligere.* Quo pacto Constantinus non modo sancta Prophetarum atque Apostolorum scripta, quæ Imperatores superioribus persecutionum temporibus ab ecclesia fere excusserant; verum & alia rerum Ecclesiasticarum monumenta actaque quam diligentissime custodiri curavit, ne perirent aut ab impostoribus corrumperentur. Hisce etenim ac sequentibus temporibus viguit audax illa licentia & fraus librariorum aliorumque, Sacræ Scripturæ & Patrum scripta corrumpentium, aut adulterina pro veris ac genuinis supponentium, ut late ostenditur a DALLÆO *de Usu Pat. lib.* 1. *cap.* 3. *& seq.* Confer & SIXT. SENENS. *in præfat. lib.* 5. *Bibliot. sanctæ.* Proinde merito habetur noster Imperator, ac qui vel fundamenta posuerit celeberrimæ Bibliothecæ Constantinopolitanæ (de qua vide SPANHEMII *Hist. Eccles. p.* 837.) quæ a filio Constantio & sequentibus Augustis mirum in modum aucta ad numerum centum & viginti millium librorum excrevit; quæque tandem sub Basilisco Imperatore diro illo incendio conflagravit, anno videlicet post C. 476. Confer CALVISII *Opus Chronol. ad h. an.* Sin autem GEORGIO CEDRENO fides habenda constitit tunc nobilissima hæc Bibliotheca *voluminum sexies centenis millibus.* Vide SPIZELII *Dissert. de illustr. Biblioth.* §. 2. Verum quod ZOSIMUS, *lib.* 3. *cap.* 11. de Juliano suo diserte narret, eum Constantinopoli *in regia porticu Bibliothecam construxisse*, *& libros*, *quotquot habebat*, *in ea collocasse*; nulla tamen ibi facta Constantini, aut librorum ab ipso collectorum mentione; fortasse non nisi infensissimo quo in illum ducebatur animo adscribendum. Quidquid sit, inter Bibliothecas Arabicas, quæ adhuc hodie Constantinopoli exstant, dicitur esse antiqua illa Constantini M., in qua multi

in charta pergamena calamo exarati libri; item V. & N. Testamentum, more veteri auro & gemmis ornatum; ut refert LOMEIERUS *in lib. de Bibliothecis, cap.* 11. *p.* 343. forte ex ERPENIO, quem nobis inspicere non licuit.

§. IX. Ad postremum & illud memorandum, Constantinum se doctis & bonis viris fautorem ac Mæcenatem optimum semper præbuisse, eorumque opera atque conversatione familiariter & benigne uti solitum fuisse: quod cæteris prætermissis liquet exemplis *Lactantii*, & *Optatiani Porphyrii* supra memoratis, inprimis vero *Eusebii* sui *Pamphili*, qui ipsi familiarissimus & intimus fuit, cuique hunc in modum scripsit, ut legitur apud EUSEBIUM, *de vita Const. lib.* 4. *cap.* 35. *Verumtamen eximiam tuam doctrinam & studii contentionem equidem supra modum admiratus sum; legique librum tuum perlibenter; utque in multorum, qui divinæ religionis observantiam sincere profitentur, manus ac notitiam perveniret, quemadmodum optaveras, mandavi. Cum igitur intelligas, quanta cum voluptate hujusmodi munera, a solertia tua nobis oblata, suscipimus, cura ut frequentioribus posthac sermonibus, quibus te innutritum esse profiteris, animum nostrum exhilares.*

§. X. Verum enim vero quanti fecerit præstantissimus Imperator Constantinus litteras artesque humaniores, vel ipsemet omnibus satis superque probavit tribus illis egregiis Constitutionibus, e quibus nostra Lex conflata est, ut sæpe alias a Justiniano vel Triboniano factum quæque leguntur *lib.* 13. *Cod. Theod.* In illas autem obiter cum BALDUINO, *lib.* 2. *p.* 123. *de legibus Constantini*, observandum, primam editam esse Sirmii in Pannonia, an. 321. proximo post victum Licinium, Crispo & Constantino Cæs. Coss. secundam Constantinopoli, an. 326. post Nicænam synodum, Constantino A. VII. & Constantio Cæs. Coss. tertiam eodem quidem loco, sed septem post annis, anno scilicet 333. Dalmatio & Zenophio Coss. Quo magis, ut recte annotat BALDUINUS, intelligamus, constantem hanc ejus fuisse atque perpetuam voluntatem: neque impetu quodam & inconsulto calore, cœci favoris veluti abreptum fuisse, sed certo consilio judicioque & ratione diu cogitata commotum. Atque ita ad ipsam Legem, quam ex hisce tribus Constitutionibus contraxisse Justinianum constat, facilis nunc aditus nobis relinquitur.

CAPUT SECUNDUM.

Paratitlon Legis.

Hisce verbis Lex comprehenditur.

„ IMP. CONSTANTINUS A. AD VOLUSIANUM.

„ *Medicos & maxime Archiatros vel ex Archiatris, Grammati-*
„ *cos, & Professores alios litterarum, & Doctores legum, una cum*
„ *uxoribus & filiis, nec non & rebus quas in civitatibus suis possi-*
„ *dent, ab omni functione, & ab omnibus muneribus vel civilibus*
„ *vel publicis immunes esse præcipimus: & neque in provinciis hospi-*
„ *tes recipere, nec ullo fungi munere, nec ad judicium deduci (nec)*
„ *eximi, vel exhiberi vel injuriam pati: ut si quis eos vexaverit,*
„ *pœna arbitrio judicis plectatur. Mercedes etiam eis & salaria reddi*
„ *jubemus, quo facilius liberalibus studiis & memoratis artibus mul-*
„ *tos instituant.*

„ *PP. Kalend. August. Sirmii, Crispo & Con-*
„ *stantino CC. Coss.*"

§. I. Hæc Lex tota pene conflata est atque interpolata ex *L.* 1. 2 & 3. *Cod. Theod. de Medic. & Profes.* quod ad ejus intellectum probe notandum est. Illius autem Rubricæ alii tres Tituli respondent: videlicet *de Comit. & Archiatr. S. Palatii: de Professorib. qui in urbe Constantinopolit.* &c. & *de Stud. liberalib. urb. Romæ & Constantinop.*

§. II. Inscribitur *ad Volusianum*, qui vocatus *C. Ceionius Rufius Volusianus* Consul fuit an. Chr. 314. collega Anniano, ut liquet ex *Fastis Consular.* ALMELOVENII, *p.* 290. Confer & *Fastos Consul. Anonymi in* GRÆVII *Thes. Ant. Rom. tom.* 11. *p.* 360. & Auctorem Libelli *de Præfectis Urbi*, *ibid. p.* 389. nec non *L.* 1. *Cod. Theod. de Navicular.* quæ eidem inscribitur, cum hac subscriptione, *Volusiano & Anniano Coss.* (314.) Ejusdem anni, ejusdemque inscriptionis ac subscriptionis *L. un. Cod. Theod. de Ingen. qui tempor.* &c. & multæ aliæ Le-

ges

ges ejusdem anni ac subscriptionis recensentur in Relandi *Fastis Consul.* ad an. 314. p. 291. *&* *seq.* quos vide. Verum quod notandum, constat ex Inscriptione, quam allegat e Gruteri *Corp. Inscript.* 387. 3. Mabillonius *in Vet. Analect.* tom. 4. p. 494. seu p. 361. *edit. in Fol.* Volusianum bis Consulatum Romae gessisse. Vocatur enim in ea Inscriptione *Rufus Volusianus bis ordinarius Consul.* Quod & confirmat Idacius *in Fastis*, (quos exhibet Graevius *Thes. Ant. Rom.* tom. 11. p. 261.) ubi eundem cum nota numerali profitetur. Vide Pagi *Crit. in Annales Baronii*, *ad an.* 314. p. 371. & *Chronologiam Leg. Rom.* *&c. ad eund. an.* praefixam *Corp. Jur. Leeuwenii*, ubi adscribitur *C. Cejonius Rufius Volusianus* 11. quo numero indicatur, eum secunda vice tunc Consulem fuisse. Verum hoc videtur aliis *Fastis Consularibus* minus accommodatum, qui expresse nostrum *Volusianum* non nisi *ad an.* 314. memorant. Attamen Pagi sententia *l. c.* non est repudianda, qui putat *Rufinum* illum, qui in Libello *de Praefectis ad an.* 311. apponitur, una cum Eusebio, ut Coss. hujus anni, eundem ac *Rufium Volusianum* fuisse. Verba Pagi sunt: *Liquetque, anno Christi CCCXI. Rufium Volusianum Eusebio Collega Consulatum ordinarium Romae, ubi Maxentius imperabat, gessisse: Rufinum & Volusianum, quos tanquam duos illius anni Consules Idacius proponit, unum eundemque Consulem in duos divisum esse, quod quandoque ab Antiquis factum: Rufinum illum, seu melius Rufium, diversum esse ab Aradio Rufino, qui ex libello de Praefectis Urbi anno CCCIV. Praefecturam gessit; ac denique eundem Rufium Volusianum a Constantino secundo Consulatu ordinario cohonestatum fuisse.* Sed ne pluribus hisce immoremur palam est ex dicto Libello *de Praefectis*, Rufium Volusianum an. 310. Praefectum Urbi fuisse, sub Maxentio; & dein eo munere iterum functum an. 313. & 314. ipsique sequenti anno Vectium Rufinum suffectum XIII. Kalend. Septemb. Ad hoc usque tempus Praefecturam Urbi gessit Volusianus, ut liquet *L.* 2. *Cod. Theod. quor. Appellat. non recip.* quae est anni 315., ad *Volusianum P. U.* Confer etiam Almelovenii *Fast. Cons.* p. 302. Denique eum & Praefectum Praetorio fuisse sub Maxentio Tyranno, manifestum videtur ex *L.* 2. *Cod. de Dignitat.* quae inscribitur *Volusiano P. P.* & ex Victore *de Caesar.* cap. 40. ubi diserte vocatur *Rufus Volusianus Praefectus Praetorio.* Vide & Gothofred. *ad L.* 1. *Cod. Th. de ingenuis*

nuis &c. & ad *L.* 1. *de Medic.* & *Prof.* ubi in not. putat, illum tunc temporis P. P. fuisse; verum cujus Præfecturæ statuere non audet. Plura, quæ de nostro *Volusiano* digna memoratu antiquitas nobis servavit, vide apud RELANDUM *in Fastis Consul. ad an.* 314.

§. III. Porro autem, ut materia Legis facilius explicetur, quædam de verborum ratione ac compositione sunt præmittenda. Sic exorditur Legislator: *Medicos*, & *maxime Archiatros, vel ex Archiatris:* ubi bene notandum, Tribonianum voculis & *maxime* Legem 1. cum 2. *Cod. Theod. de Medic.* & *Professor.* vel quasi copulasse, & inde contextum adstruxisse seu interpolasse. Quo facto sensus evadit obscurior. Videtur enim ac si indicare vellet, ad omnes omnino *Medicos*; maxime autem vel inprimis ad *Archiatros*, &c. privilegia hujus Legis pertinere; adeoque ac si *Medicorum* & *Archiatrorum* par esset ratio. Verum quod nequaquam ipsi in animo fuit: vocavit enim *Medicos*, non ut diversos ab *Archiatris*, qui & ipsi *Medici* erant, & quidem inter illos primarii; sed speciali relatione ad *Grammaticos*, & *Professores alios Litterarum*, ac *Doctores Legum*, qui mox sequuntur: atque hoc modo nihil aliud innuit, seu voluit indicare, quam distinctionem diversarum Facultatum, ut nunc vocantur, vel Disciplinarum, *Medicinæ* scilicet, *Grammaticæ*, *Jurisprudentiæ*, aliarumque humaniorum artium, in quarum solos Magistros vel Professores Legis privilegia & immunitates conferuntur: adeoque copula & *maxime* hic vel omnino abundat, uti sæpius, nihilque operatur: vel idem valet, quod utique seu duntaxat: ut in *L.* 9. *ff. de usurpat.* & *usucap.* ubi dicitur, quod usucapionem recipiant *maxime* res corporales. Quod ita non accipiendum, ac si etiam res incorporales usucapi possint: id quod in jure alienum & absurdum audit: sed quasi corporales solæ. Confer RICHTERUM *de significat. adverb. Jur. p.* 464. ad voc. *maxime*; & LAMPIUM *de honor.* &c. *Medic. cap.* 3. §. 73. *p.* 253.

§. IV. Porro & *Doctores Legum* hic diserte vocantur. Græci autem non agnoscunt, *Legum*, sed simpliciter *Doctores* vertunt: nam & *L.* proxime seq. 7. tantum *Magistros studiorum Doctoresque* vocat: ut & *L.* 5. *Cod. Theod. eod.* Vide CUJAC. *Commentar. ad nostr. Leg.* 6. Sequentia verba, *una cum uxoribus* & *filiis*, desumpta sunt ex *L.* 3. *Cod. Theod.* Excipiuntur tamen filii Professorum, qui ex curiali descendunt stirpe, ut admo-

monet CUJAC. *ibid.* ex *L.* 35. *Cod. de Decur. & fil.* Additur, *nec non & rebus, quas in civitatibus suis possident:* quæ verba exscripsit ex *L.* 1. *Cod. Theod.* Horum omnium Immunitas ita porro constituitur; *ab omni functione, & ab omnibus muneribus, vel civilibus vel publicis, immunes esse præcipimus. L.* 1. *Cod. Theod.* solum dicitur, *immunes esse præcipimus.* Verum *L.* 3. *ejusd. Cod.* subjungitur, *ab omni functione, & ab omnibus muneribus publicis:* sicut & quæ in nostra *L.* sequuntur, *& neque in provinciis hospites recipere, nec ullo fungi munere:* quod non exiguum fuit privilegium, iis inprimis, qui rem Litterariam tractant. Musæ enim amant omnino quietem. Dein sequitur, *nec ad judicium deduci [nec] eximi, vel exhiberi, vel injuriam pati: ut si quis eos vexaverit; pœna arbitrio judicis plectatur.* Verum si inspiciamus *L.* 1. *Cod. Theod.* ipsamet *pœna* pluribus ibi determinatur, quæ omisit omnia Tribonianus, atque soli arbitrio judicis relinquenda putavit. Digna tamen ea existimo, quæ hic recenseantur. *Ita*, inquit *d. L. ut si quis eos vexaverit, centum millia nummorum ærario inferat, a Magistratibus, vel Quinquennalibus exactus, ne ipsi hanc pænam sustineant. Servus eis si injuriam fecerit, flagellis debeat à suo domino veberari, coram eo cui fecerit injuriam: vel si dominus consensit, viginti millia nummorum fisco inferat: servo pro pignore, donec summa hæc exsolvitur, retinendo.* Postremo in *L.* nostra agitur de Doctorum *Mercedibus* & *Salariis: Mercedes etiam eis & salaria reddi jubemus.* Quæ etiam habentur *L.* 1. *Cod. Theod.* sed ratio quæ additur, *quo facilius* scilicet *liberalibus studiis & memoratis artibus multos instituant*, tota desumpta est ex *L.* 3. *ejusd.* Dicta autem *L.* 1. hæc ratio adhibetur, *quoniam gravissimis dignitatibus vel parentes, vel domini, vel tutores esse non debent, Fungi eos honoribus volentes permittimus, invitos non cogimus:* quæ noster cuncta præteriit, forte quia hæc verba, si quæ alia in *Cod. Theod.* difficillima explicatu sunt. Erudite tamen illa pro more illustrat GOTHOFR. *in commentar. ad h. l.*

§. V. Observandum quoque venit, nostram Legem fortasse videri posse, ac si non ab uno Augusto esset profecta, quoniam non singulari, sed plurali numero verba ejus sunt concepta: scilicet *præcipimns, jubemus.* Ast contrarium constat. Etsi enim primi Imperatores, si socio Imperii carerent, sic satis diu singulari numero edicta sua promulgaverint: quomo-

do Antoninus *L.* 1. *Cod. de jur. & fact. ignor.* dixit, *Permitto tibi defensionibus uti:* attamen Constantinus M. qui *universum orbem Romanum unus Augustus tenuit & defendit*, ut ait AUGUSTINUS, *lib.* 5. *cap.* 25. *de Civit. Dei*, de se solo loquens numerum pluralem solebat usurpare, ut passim in Codice observare est, & dudum notatum a PANCIROLLO, *lib.* 1. *Var. lect. utr. Jur. cap.* 2. Confer & CONRINGIUM *in Dissert. ad L.* 1. *Cod. Theod. de Stud. liber. urb. Rom. & Const.* §. 3.

§. VI. Subscriptio denique Legis est: *PP. Kalend. August. Sirmii, Crispo & Constantin. CC. Coss.* ex qua liquet, quam negligenter ejusmodi res tractaverit Tribonianus. Licet enim suam Legem e tribus *Cod. Theod.* eodem titulo, sub diversis Consulibus latis, in unam conflaverit, nihilominus subscriptionem ipsi supposuit perinde ac si hæ diversæ Constantini Leges uno eodemque non solum loco, sed & tempore latæ fuissent, quum, cœteris Consulibus præteritis, solos 1. *Legis* nominavit: quod solemne eidem est, & sæpius merito castigatum a GOTHOFREDO. Ad *Sirmium* quod attinet, teste ZOSIMO *Hist. lib.* 2. *cap.* 18. Pannoniæ est urbs, *quæ maxima omnium ejus regionis habetur*, ut tradit HERODIANUS, *lib.* 7. *cap.* 2. Imperatores ibi sæpissime constiterunt, ac regiam habuerunt, cujus meminit ZOSIMUS, *lib.* 4. *cap.* 18. ibique leges multæ datæ, quas collegit GOTHOFREDUS *Topographia Urbium in Cod. Theod.* Præterea inclyta fuit hæc urbs natalibus Probi imperatoris; & dein Concilio ibi habito sub Constantio imp. an. 357. quod *Sirmiense Concilium* celebratur Confessione fidei ibi data. Vide LABBEI *Concil. tom.* 2. *p.* 784. *& seq.* & BALUZII *nov. collect. Concil. p.* 33. Conf. CELLARII *Geogr. antiq. lib.* 2. *cap.* 8. §. 25.



CAPUT TERTIUM.

De Studiis Romanorum.

§. I.

Postrema Legis verba aperte propositum indicant finem, cujus causa lata est; ad nutrienda nimirum atque promovenda liberalia Studia Artesque humaniores. Quapropter operæ pretium videtur, ut priusquam ad distinctiorem ejus expositionem egrediamur, quiddam de Studiis Romanorum commemoremus: quod diligenter ab aliis factum; inprimis a Cellario, *dissert. de Stud. Roman. litterariis &c.* quæ exstat *part.* I. *Dissert. Acad. p.* 341. *& seqq.* & a Walchio, peculiari diatribe *de variis modis Litteras colendi apud Vet. Roman. in ejus Parerg. Acad. p.* 52. *& seqq.* quos adeant, qui pleniorem doctæ hujus materiæ discussionem desiderent. Duæ autem Artes erant, ad quas omne studium atque industriam suam Romani referebant, eloquentia Politica, & scientia Militaris. His enim fortunam omnem ac salutem Reipublicæ suæ inniti persuasi erant. Nec alio modo, nisi Litteris una & Armis ad culmen tantæ majestatis ac potentiæ, quam per totum orbem adepti sunt, pervenerunt. Prælio quidem vicerunt hostes, urbes expugnarunt, & gentes ac nationes in servitutem redegerunt: verum liberalibus disciplinis artiumque cultura ipsi didicerunt, qui benigne atque ex æquo imperarent: & qui eorum ditioni subjecti erant, in studiorum societatem perducti, promptiores facti sunt ad parendum; & a barbarie ad vitam cultiorem, a summa feritate ad humanitatem, & ab inscitia ad variam doctrinam redacti. Sive enim e barbaris & rudibus hominibus primum formanda est Respublica, quasi pædagogia quadam ducendi sunt, ut legibus bonis assuescant, ut virtutibus animum excolant, ut scientiis & artibus Reipublicæ profuturus se exerceant; sive in jam constituta Republica recto talo stant omnia, id operæ dandum primum Magistratui est, ut peritiam tanto muneri parem adferat, seque omni in vita adeo pruden-

tem & incorruptum & erga omnes animatum oſtendat, ut cives in ordinem redacti mutuis officiis ſe invicem, totamque Reipublicæ molem ſuſtentent. Perſpicuum autem eſt atque inter omnes conſtat, nullam ſocietatem Civilem vere beatam eſſe ſine ſapientiæ ſtudiis, ſi non illis, quæ θεωρητικὰ dicuntur, ſaltem non absque iis, quæ ad vitam commode agendam ipſamque Reipublicæ faciant gubernationem. Atque his artibus factum eſt, ut ad tantum faſtigium Romana majeſtas eveheretur, & per tot ſecula in eodem immota & inconcuſſa etiam perſtaret.

§. II. Verum quidem eſt, apud antiquos Romanos litterarum ſtudia ac humaniorum artium diſciplinas non niſi tardius coli & exerceri cœpiſſe, adeo ut per tota quinque priora ſecula ab Urbe condita de re Litteraria illorum nil fere præclarum aut magnificum nobis commemoretur. Italos literas primum ab Euandro Arcade edoctos fuiſſe auctor nobis quidem eſt Aurelius Victor, *in lib. de origine gentis Rom. Cap.* 5. qui tamen an ejusdem Victoris ſit, dubitari ſolet. De Romulo & Remo idem refert *Cap.* 21. illos, cum pueri liberalis diſciplinæ capaces facti eſſent, Gabiis Græcarum Latinarumque litterarum ediſcendarum gratia commoratos fuiſſe. Contra alii ſcriptores, inter quos Livius, *lib.* 1. *cap.* 4. eos in montibus educatos tradunt, & venando peragraſſe circa ſaltus. Veruntamen non eſt, quod hiſce obſcuris immoremur, dum conſtat, paulo poſt bellum Punicum 1. ſtudia Græcanicæ eruditionis Romam demum perveniſſe. Græcia enim, quæ ſemper eloquentiæ princeps eſſe voluit, atque doctrinarum illarum inventrix, in quibus ſumma dicendi vis & inventa eſt & perfecta, omni litterarum genere Romanos longe ſuperabat, qui Philoſophiam non tantum, verum & omnes ingenuas diſciplinas a Græcis habent, teſte Cicerone 2. *de Finib. cap.* 21. Circa illud tempus Livius Andronicus, antiquiſſimus poëta, ut a Gellio vocatur *lib.* 3. *cap.* 16. primus omnium in Urbe fabulas docuit, ſeu ſpectandas populo exhibuit, ut refert idem Gellius, *lib.* 17. *cap.* 21. Unde hi verſus,

Pœnico bello ſecundo Muſa pinnato gradu
Intulit ſe bellicoſam in Romuli gentem feram.

Confer & Ciceronem, *Tuſcul. lib.* 1. *cap.* 1. & *in Bruto*, *cap.*

cap. 18. nec non SCHOTTI *Tullian. Quæst. p.* 37. & 314 Sed adeo rudia fuerunt isthæc initia, ut SUETONIUS scribat, *de illustr. Grammat. cap.* 2. *inter secundum ac tertium bellum Punicum, sub ipsam Ennii mortem*, demum studia Grammatica vel Litteratoria ibi cœpisse; quum antea nemo fuit, qui jure in numero eloquentium Oratorum possit poni. Verum statim post bellum Punicum 2. (quod juxta PETAVIUM *de doct. temp. tom.* 2. *p.* 349. finitum an. 552. U. C.) studia eloquentiæ sensim succreverunt, atque in dies facta ornatiora. *Post hoc*, inquit SUETONIUS *l. c. magis ac magis & gratia ac cura artis increvit, ut ne clarissimi quidem viri abstinuerint, quo minus & ipsi aliquid de ea scriberent: utque temporibus quibusdam super viginti celebres scholæ fuisse in Urbe tradantur.* Advenerunt non longe post eo & Rhetores & Philosophi, suasque ibi scholas instituerunt: quæ tamen non nisi privatæ scholæ erant, nec publica auctoritate exstructæ vel munitæ. Refert enim SUETONIUS *de clar. Rhetor. cap.* 1. statim ab initio Cajo Fannio Strabone, Marco Valerio Messala Coss. Philosophos & Rhetores pulsos esse edicto censorio: quod ex *Fastis Consularib.* constat factum an. U. C. 593. Videntur circa illud tempus Philosophiæ & Rhetoricæ studia magnum Romæ & in Italia cepisse incrementum, per illos mille Achaicos, quos senatus e patria accitos post bellum Persei in Urbe aut per Italiam multos annos detinuit. Nec dubitandum, quin inter eos plures fuerint docti litteris, & Philosophiæ studiis imbuti, qui ut existimat CASAUBONUS *ad h. l.* Quum & ignavo otio torperent, & rebus etiam necessariis, ut solent exsules, plurimum carerent, ad Philosophiæ studia conversi, multis Romanorum ad simile propositum fortasse hortatores exstiterunt, atque ita huic Senatusconsulto facile occasionem præbuerunt. Insuper & aliud edictum de Latinis Rhetoribus recenset SUETONIUS, *d. l.* Ænobarbi scilicet, & Crassi censorum, interjecto tempore latum hisce verbis: *Renuntiatum nobis est, esse homines, qui novum genus disciplinæ instituerunt: ad quos juventus in ludos conveniat: eos sibi nomen imposuisse Latinos Rhetores: ibi homines adolescentulos totos dies desidere. Majores nostri, quæ liberos suos discere, & quos in ludos itare vellent, instituerunt. Hæc nova, quæ præter consuetudinem ac morem majorum fiunt, neque placent, neque recta videntur. Quapropter, & iis, qui eos ludos habent; & iis, qui eo venire consueverunt, videtur faciendum, ut ostendamus nostram sen-*

tentiam, nobis non placere. Editum illud edictum fuit an. 652. U. C. adeoque 59. vel 60 an. post superius Senatusconsultum. Ex utroque clare liquet, hujusmodi privatas scholas a ludimagistris institutas fuisse absque omni auctoritate. Quod magis confirmatur EUSEBII testimonio, qui diserte notavit in *Chron. ad an.* 2304. qui est nat. C. 89. *Quintilianum ex Hispania Calagorritanum primum Romae publicam scholam, & salarium e fisco accepisse:* idque demum aevo Domitiani: quanquam alii putant, Vespasianum primum e fisco Latinis Graecisque rhetoribus annua centena constituisse, ut diserte narrat SUETONIUS *in ejus vita, cap.* 18. Qui hactenus scilicet docuerant Romae, illi non loco aliquo publice ad id instituto, nec mercede aliqua publica conducti docuerant; sed privatim pro se quisque aperuerat ludum, mercedem a discipulis exspectans. Sophistae enim privatas scholas sive dicendi officinas pro animi arbitrio deligebant, cum sedem in aliqua civitate fixissent. Vide CRESOLLII *Theatr. Rhet. lib.* 4. *cap.* 4. *p.* 390. & CONRINGIUM *in Dissert.* 1. *de Antiq. Acad.* §. 20. Atque adeo tractu temporis Romana studia artiumque disciplinae ad summam laudem adspirarunt, quam sub patre eloquentiae M. Tullio, & Terentio Varrone, (quo nemo unquam doctior, ne apud Graecos quidem, nedum apud Latinos vixit, judicio LACTANTII, *div. inst. lib.* 1. *cap.* 6.) ac dein celeberrimorum ingeniorum incredibili industria & praeclaris operibus merito adepti sunt. Confer omnino eruditissimum FUNCII *lib. de Adolescent. Lat. ling. cap.* 5 & 6.

§. III. Etenim M. T. Ciceronis, qui inter omnes non solum Rhetores, sed etiam Oratores principem locum tenuit, ineunte aetate Romanorum studiis faustissimum seculum ortum est, quo omnis omnino scientia magis magisque florebat, omnique beneficiorum genere atque insignibus Gloriae magnifice exornabatur. Unde & inter hujus seu posterioris aevi illustres Romanos, paucis tantum exceptis, vix quenquam reperias, quin Politica simul & Militari scientia, vel alterutra excelleret, neutrius plane rudis esset, adeo ut in tritum illud proverbium incurreret, *Neque Litteras neque Natare didicit.* Vigebant tunc apud Romanos ubique studia litterarum atque artium, juxta illud SENECAE *Epist.* 31. *Quid ergo est bonum? rerum scientia. Quid malum est? rerum imperitia.* Et quod ibi praecedit, *Generosos animos labor nutrit.* Seu ut docet ISIDOR.

PE-

PELUSIOTA, *lib.* 2. *epist.* 12. *Virtutem habere laborem cum gloria nominisque splendore conjunctum. Siquidem gloria sudoribus libenter irrigatur.* Initium solebant facere ab Eloquentia, quam ut adipiscerentur, litteris Græcis, Philosophia, & Jurisprudentia opus erat. Prima itaque cura Græcarum litterarum, quæ non minus olim, aut magis etiam, quam hodie sunt Latinæ, necessariæ erant. Hisce parvuli erudiebantur vel a Sophistis, seu magistris Græcis, in scholis, quas Romæ aperiebant; vel potius earum causa in Græciam aut Græcanicas urbes mittebantur, ut Athenas, Rhodum, Neapolim, Massiliam &c. Unde apud GELLIUM, *lib.* 18. *cap.* 2. *Conveniebamus autem ad eandem cœnam complusculi, qui Romani in Græciam veneramus, quique easdem auditiones, eosdemque doctores colebamus.* Ibi tractati ante omnia poëtæ, & auspicium factum ab illorum principe Homero, cujus præceptis atque exemplis puerile pectus ad virtutem præparetur. Vide PLINII *Epist. lib.* 2. *epist.* 14. Hinc Græcorum pueri statim post τὰ γραμματικὰ, aut etiam inter τὰ γραμματικὰ, ad Homeri lectionem admittebantur, ut docet HENR. STEPHANUS *in dissert. de bene instit. Gr. ling. stud. p.* 93. Hic enim ceu omnium poëtarum pater, atque princeps vitæ & morum, inprimis eloquentiæ doctor habitus fuit: ad quem ornandum non parum valeret, quod non suis solum Græcis, doctissimis viris, mirifice probatus fuit, sed etiam Latinis omnibus scriptoribus, quorum etiam admirabili consensu valde celebratus est: atque ita denique illis commendatus, ut nemo olim facile inveniri Romæ possit ingenuus puer, qui non ipsum accurate legisset, ac memoriæ etiam totum mandasset. Vide PETR. VICTORIUM *in epist. ad Caselium*, *lib.* 5. *Caselii Epist. p. m.* 196. & plura de Homeri celebritate atque elogiis apud CUPERUM, in eruditissimo libro *Apotheos.* seu *Consecrat. Homeri*, quem inseruit POLENUS suis *Supplement. utriusque Thesauri*, *tom.* 2. REINHARDI *Theatr. Prudent. elegant. p.* 150. *& seq.* POPE BLOUNT *Censur. celeb. auctor. p. m.* 3. *& seq.* aliosque. Attamen scientiæ & Artes liberales Homerici ævi erant confusæ adhuc, nec satis inter se discretæ; imo tam rudes & imperfectæ, ut suam infantiam ubique prodiderint. Verum si a θεωρία progrediamur ad Praxin, absque omni dubio facile palmam præripuere antiqui posterioribus. *Nam vetus quidem illa doctrina*, ait CICERO *de Orat. lib.* 3. *cap.* 15. *eadem videtur &*

recte

recte faciendi, & bene dicendi magistra; neque disjuncti doctores, sed iidem erant vivendi præceptores, atque dicendi: ut ille apud Homerum Phœnix, qui se a Peleo patre Achilli Juveni comitem esse datum dicit ad bellum, ut illum efficeret oratorem verborum, actoremque rerum. Scilicet benedicendo & benefaciendo universa tum absolvebatur Sophiæ sphæra: atque is existimabatur sapiens, qui ea, quæ ad artem, quam profitebatur, spectabant, verbis factisque accommodatis posset exprimere. Nulla autem tum facultatum nomina, nulla scientiarum. Conferatur REIMMANNI *Ilias post Homer. sect.* 1. *cap.* 1. *p.* 10 *& seq.*

§. IV. Ad propositum vero ut revertamur, Homero Menander, Euripides, Sophocles aliique adjungebantur. Dein Poëtas excipiebant Historici, Thucydides, Polybius, Herodotus, Xenophon, & cæteri. Utrosque etenim eloquentiæ aut philosophiæ præmittendos arbitrabantur, ad perpolienda ingenia, utque teneri adolescentum animi præclaris sententiis, & illustribus exemplis ad omne genus virtutum & civiles artes mature imbuerentur. Quamobrem ex omni lectione observabant, quæ notatu maxime digna & utilia erant, ad varios usus, & majores in aliis atque aliis disciplinarum generibus faciendos progressus. Uti vero linguæ utriusque commoda magis perciperent, ac diligenti opera in partes suas traherent, obtinuit inter eos ex Græcis in vernaculam Latinam, & reciproco labore in Græcam linguam sua vertendi consuetudo. Unde QUINCTILIANUS, *lib.* 10. *Inst. orat. cap.* 5. *Vertere*, inquit, *Græca in Latinum veteres nostri oratores optimum judicabant, &c. Et manifesta est exercitationis hujusce ratio. Nam & rerum copia Græci auctores abundant, & plurimum artis in eloquentiam intulerunt: & hos transferentibus, verbis uti optimis licet.* Vide & PLINIUM, *lib.* 7. *Epist. ep.* 9. nec non FUNCCIUM *de virili ætate Lat. ling. p.* 34. Hinc Philosopho (ita tamen, ut non nisi ea tractarent ex Philosophia, quæ suo instituto congruerent) & postremo Oratori operam dabant, ut in illius schola differendi artem, in hujus declamandi exercerent, Græco potissimum sermone, quo Ciceronem *ad præturam usque declamasse* auctor nobis est TRANQUILLUS *de Clar. Rhet. cap.* 1. Hæc enim lingua Romanis erat familiarissima. Antiquitus equidem eorum liberi statim a pueritia lingua Hetrusca imbuebantur: at Ciceronis ætate illico mox lingua Græca, antequam Latina, erudiebantur: quod ideo fiebat, quia cum lingua Latina

ver-

vernacula esset, a Romanis nullo negotio discebatur: ut AUGUSTINUS de infantia sua ipsemet narrat, *lib.* 1. *Confess. cap. m.* 14. Sic QUINCTILIANUS, *inst. orat. lib.* 1. *cap.* 1. *p. m.* 17. *A Græco sermone puerum incipere malo: quia Latinus, qui pluribus in usu est, vel nobis nolentibus se præbet: simul quia disciplinis quoque Græcis prius instituendus est, unde & nostræ fluxerunt.* Sentiebant itaque Romani usu Græci sermonis sibi admodum opus esse ad hauriendas artes liberales & philosophiam, quæ a Græcis optime excultæ expositæque erant; tum quoque ob militarem scientiam, ab iisdem in artem redactam. Quibus CICERO, *cap.* 90. *in Bruto*, & aliam rationem adjungit, *quod* scilicet *Græca oratio plura ornamenta suppeditans, consuetudinem similiter Latine dicendi afferebat.* Adde quod Græcus sermo tum in plerisque provinciis, Orientis præsertim, vulgo obtinebat. Plura vide in elegantissima SCIPIONIS CARTEROMACHI *oratione de laudibus literarum Græcarum*, quam dignam æstimavit HENR. STEPHANUS, quæ cum aliis præfigeretur *Tom.* 1. *Thes. ling. Græcæ.*

§. V. Sic quum Romana adolescentia sive in patria, sive in Græcanica urbe, primos studiorum cursus feliciter confecisset, id potissimum operæ dabat, ut eruditio ac doctrina, quam adepti erant, cum ætate magis ac magis cresceret. Quem in finem, qui diligentiores erant, in studiis cognoscendi semper aliquid atque discendi, remoti ab oculis populi, omne otium, quo abundabant, conterere solebant, bene memores prudentissimi Platonis moniti, cui, quoties e schola discederet, solitum erat dicere, *Videte pueri, ut otium ad honestam aliquam rem utamini:* ita græca vertit CRESOLLIUS in eruditissimo & rarissimo hodie libro, cujus tit. *Mystagogus de sacrorum hominum disciplina*, *lib.* 2. *cap.* 3. *pag.* 217. Commnnis autem illis mos fuit, ut præclaro cuidam oratori Romano tunc se darent, frequentes in foro & judiciis, ut videndo audiendoque ideam civilis eloquentiæ imbiberent animo, & velut in re præsenti eam addiscerent. Sic *Auctor Dialogi de caussis corruptæ eloquentiæ, cap.* 34. diserte tradit. *Ergo apud majores nostros juvenis ille, qui foro & eloquentiæ parabatur, imbutus jam domestica disciplina, refertus honestis studiis, deducebatur a patre vel a propinquis, ad eum oratorem, qui principem locum in civitate tenebat. Hunc sectari, hunc prosequi, hujus omnibus dictionibus interesse, sive in judiciis, sive in concionibus assuescebat, ita ut altercationes quoque excipere, & jurgiis interesse, utque sic dixerim, pugnare in prælio disceret, &c.*

Mox ut vires ingenii periclitarentur, & procerum populique favorem sibi conciliarent, ipsi in illustri aliqua causa tirocinium eloquentiæ edebant, accusando aliquem vel defendendo: qui mos illustratur verbis Ciceronis *in Verrem*, *lib.* 3. *cap.* 1. ubi agit de adolescentulis, qui, *antequam potuerunt existimare, quanto liberior vita sit eorum, qui neminem accusarint, gloriæ causa, atque ostentationis, accusant.* Confer Plinii *Epist.* *lib.* 2. *ep.* 14. Plura vide apud Funccium *de Virili ætate Lat. ling. par.* 1. *pag.* 39 *& seq.* & in Poleti *Hist. fori Rom. lib.* 2. *cap.* 6 *&* 7. Hinc vel etiam antea in castra proficiscebantur, & stipendia merebant, illi quoque, quibus animus non esset ad fastigium ducis aliasque militiæ dignitates enitendi, saltem aliquem militiæ atque imperii disciplinæque militaris usum comparaturi, ne postea senatores, aut proconsules, aut proprætores facti, rerum bello gerendarum omnino ignari, militibus deridiculo & contemtui essent. Atque hoc modo præclara Martis & Musarum studia conjuncta tenuere prisci Romani, apud quos vix ullus insigniter doctus exstitit, qui non esset miles; nec ullus miles strenuus fuit, qui non vicissim litteratus haberetur. Vide Menckeniorum *Bibliot. Virorum militia æque ac scriptis illustr. p.* 5. Ex bello autem, qui non perpetuam militiam elegissent, post alterum tertiumve annum in Urbem redibant, ut honores peterent gererentque, quos nemo facile nanciscebatur, nisi stipendia fecisset. Interea non intermissa sunt litterarum studia, sed tam inter stipendia, quam in ipsis magistratibus nunc Historicorum atque Philosophorum scripta evolvebant, nunc declamando eloquentiam alebant, interposita subinde & jurispublici privatique tractatione, cujus notitiam sibi domum reduces inter tirocinia oratoria comparabant. Vide Cellarii *Programmata*, *p.* 8. Quanto enim quisque plus dicendo poterat, tanto facilius honores assequebatur; tanto magis in ipsis honoribus collegas suos anteibat; tanto plus apud principes gratiæ, plus auctoritatis apud patres, plus notitiæ ac nominis apud populum parabat. Nec sine eloquentia quisquam in civitate locum conspicuum & eminentem aut assequi aut tueri posse videretur. Confer *Auctorem Dialogi de caus. cor. eloq. cap.* 36. & Ciceronem *pro M. Cælio*, *cap.* 30. *Cujus*, inquit, *prima ætas dedita disciplinis fuit, iisque artibus, quibus instruimur ad hunc usum forensem, ad capessendam rempublicam, ad honorem, gloriam, dignitatem.* Quod & verbis Taciti confirmatur, *Annal.*

nal. lib. 11. *cap.* 22. *Apud majores*, inquit, *virtutis id præmium fuerat, cunctisque civium, si bonis artibus fiderent, licitum petere Magistratus: ac ne ætas quidem distinguebatur, quin prima juventa Consulatum ac Dictaturas inirent.* Etenim constat ex CICERONIS *Philip. lib.* 5. *cap.* 17. *Majores illos veteres admodum antiquos, leges annales non habuisse: quas*, ait, *multis post annis attulit ambitio, ut gradus essent petitionis inter æquales.* Porro licet apud Romanos in omnibus judiciis unicuique, qui legibus non impediebatur, causas agere integrum esset, plerumque tamen juvenes, qui eloquentiæ & juri civili operam dabant, causarum patrocinium apud centumviros auspicabantur: quippe apud quos sæpissime causæ exules & levis momenti ventilabantur, quibus perorandis ætas & peritia adolescentum sufficiebat, ipsique in tam magnifico judicum consilio & frequentissima populi corona constituti, maxima laude excitabantur, sibique ad honores aditum comparabant. Vid SICCAMA *de Centumvir. jud. lib.* 1. *cap.* 13. in GRÆVII *Th. Ant. Rom. tom.* 2. *p.* 1846.


§. VI. Verum nimium longum pro instituti nostri ratione foret, de Litterariis studiis, quibus prisci Romani inclaruerunt, singula commemorare; & quomodo illa ubique in Urbe, in provinciis, in castris, in prædiis, nec non in ipsis itineribus, viriliter animoque magno coluerint. Quamplurimi enim omne suum studium in doctrina ac sapientia collocabant, omneque commodum tempus in cognoscendis & tractandis humanioribus artibus disciplinisque consumebant. Quo factum etiam, ut sub Augusto Cæsare, & ante paullo ac deinceps, tot præclaros Viros atque Oratores viderit Roma, Ciceroni pene æquales, aut non longe inferiores: nec minores nec pauciores Poëtas, Historicos, Philosophos, Jurisperitos quoque, aliarumque disciplinarum egregios Magistros, quorum omnium nomina æternitati jam olim dedicata. Hinc de fausto illo ævo diserte scribit SUETONIUS *de Clar. Rhetor. cap.* 1. *Quare magno studio hominibus injecto, magna etiam Professorum ac Doctorum profluxit copia, adeoque floruit, ut nonnulli ex infima fortuna in ordinem senatorium, atque ad summos honores processerint.* Cui adde M. TULLIUM *de Oratore, lib.* 1. *cap.* 4. *Nam posteaquam*, inquit, *imperio omnium gentium constituto, diuturnitas pacis otium confirmavit, nemo fere laudis cupidus adolescens non sibi ad dicendum studio omni enitendum putavit. Ac primo quidem totius rationis ignari, qui neque exercitationis ullam viam, neque aliquod præceptum*

artis esse arbitrarentur, tantum, quantum ingenio & cogitatione poterant, consequebantur. Post autem auditis oratoribus Græcis, cognitisque eorum litteris, adhibitisque doctoribus, incredibili quodam nostri homines dicendi studio flagraverunt. Excitabat eos magnitudo & varietas, multitudoque in omni genere causarum, ut ad eam doctrinam, quam suo quisque studio assecutus esset, adjungeretur usus frequens, qui omnium magistrorum præcepta superaret. Erant autem huic studio maxima, quæ nunc quoque sunt, exposita præmia, vel ad gratiam, vel ad opes, vel ad dignitatem. Etenim Græcorum veterum liberalitatem vel maxime & Romani imitabantur, quorum excellentes quique viri & Imperatores, & Consules, & Dictatores ob litterarum amorem, & studia, & summam in artium liberalium cultores benignitatem celebrantur: utpote qui continuis & posteritati memorandis præmiis atque honoribus omnes ornarunt litteratos; ac civibus suis magnum docendi discendique ardorem commoverunt: adeo ut artes & scientiæ, & cum illis gloria litterarum, statam perfectionem suam nancisci viderentur. Inter acerrimos illos & assiduos rei Litterariæ cultores fautoresque vel merito ac jure laudantur Impp. Cæsar, Augustus, Titus Vespasianus, Hadrianus, Marcus Antoninus, Septimius Severus, Gordianus senior, Constantius Chlorus, Constantinus M. Julianus, Jovianus, Gratianus, Theodosius, Justinianus, cæterique, quorum strenuis conatibus omnes litteræ atque doctrinæ vel maxime floruerunt, vel egregia patrocinia labentes nacti sunt. Equidem de primis Cæsaribus, ad Vitellium usque, testatur Aur. Victor *de Cæsar. cap.* 8. in fine, *istos adeo literis cultos atque eloquentia fuisse, ut ni cunctis vitiis (absque Augusto) nimii forent, tantæ artes profecto texissent modica flagitia.* Ita arbitramur legendum, non *immodica.* Cui adde And. Schottum *in not. ad Victoris Epitom. cap.* 8. ubi scribit: *Memini videre ab Hadriano Barlando, viro, ut tum tempora ferebant, eloquenti libellum editum de Literatis urbis Romæ Principibus*, quem nobis inspiciendi quidem copia non fuit.

§. VII. Sed ne propositum finem & modum facile transeamus, plurima hic silentio sunt prætereunda, quæ alioqui in medium possent afferri; de Lectione videlicet, ac de Meditatione priscorum Romanorum, deque eorum Scriptis & Disputationibus, nec non de Scholis tam publicis quam privatis, de Celeberrimis Bibliothecis, aliisque rei Litterariæ adjumentis; quæ singula exposita sunt a Cellario, *in laud. Dissert.*

de

de Studiis Rom. & quædam etiam a WALCHIO, *cit. Diatr. de Variis mod. Lit. col. ap. vet. Rom.* Unicum restat, paucis hic ut commemoremus, egregia multa a Romanis, studiorum favore ac gratia, in jure constituta esse, quæ illustrationi nostræ Legis valde conducunt, quæque suis locis a nobis producuntur. Neque Doctorum seu Professorum tantum, sed & Auditorum ac Discipulorum ibi quoque ratio habita est. Id quod manifestum est Jurisconsultorum responso: Cum filiusfam. Romæ degens studiorum causa, viaticum suum alteri credidisset, a Prætore illi dari extraordinariam & utilem actionem, ut id repetere ipse possit, & absente patre agere. *L.* 17. *ff. de reb. credit. L.* 18. §. 1. *de Judic.* Sed & in studiorum causam filiofam. recte mutuum dari posse, neque tum Senatusconsulto Macedoniano locum fore, placuit. *L.* 7. §. 13. *ff. & L.* 5. *Cod. ad SC. Macedonian.* Nam & Ulpianus eleganter ostendit, ad paternæ pietatis officium pertinere, filios non modo alere, sed etiam in studiis alere. *L.* 50. *ff. famil. ercisc.* Et tutor jubetur, mercedes pupilli præceptoribus constituere. *L.* 12. §. 3. *de adm. & per. tutor.* Quod & in causa pupillæ dicitur; nam hanc quoque liberalibus artibus instituendam esse, ait Julianus. *L.* 4. *ff. ubi pupil. educ. deb.* Denique pupillo in bonorum possessionem misso, ex Carboniano edicto non solum alimenta præstanda esse, sed & necessarias ad studia impensas, Paulus ait. *L.* 6. §. 5. *ff. de Carb. edict.* Sic & Prætor absentiam studiorum causa, prope ut eam quæ esset Reipublicæ causa, justissimam esse judicat, & singulari favore prosequitur. *L.* 28. *Pr. ex quib. cauf. maj.* Sed neque ante annos viginti quinque quemquam, prætextu publicorum munerum, posse avocari a studiis & Schola rescriptum est. *L.* 1 & 2. *Cod. qui ætat. vel prof. se excus.* Confer BALDUINI *Constant. M. p.* 131. & *seq.* Atque hisce præmissis, ad pleniorem Legis tractationem via nobis nunc munita est.



CAPUT QUARTUM.

De Medicis, & Archiatris, vel ex Archiatris.

§. I.

Lex in gratiam Studiorum & ad favendas humaniores Disciplinas omnino data est: ac proinde in earum Præceptores atque Magistros egregia non solum confert privilegia & immunitates, verum etiam horum commodis & mercedibus, ad vitam domumque sustentandam necessariis, laudabili cura prospicit. Primo autem vocat *Medicos*, sive salutaris hujus scientiæ Doctores *Archiatros* vel *ex Archiatris*. Quod absque legitima ratione non factum arbitramur. Etenim Medicinam inter omnes quotquot inventæ sunt artes, non infimum profecto locum apud antiquos tenuisse, vel ex eo abunde liquet, quod primos ejus auctores Deos acceperint, non homines: sive ut hæc infirmitas, qua cuncti languescunt, haberet adjumenta aliqua atque solatia; sive quod tantum huic arti tribuerint majores, ut eam vix crederent humanis potuisse ingeniis inveniri; sive quod ipsa Medicina per se sacra sit. Vide QUINCTILIANI *Declamat.* 268. in fine. Omnes fere clari scriptores antiquitatis, qui res humanas stylo & oratione prosecuti sunt, unam omnium disciplinarum maximam esse putavere Medicinam: ejusque peritos artifices, ut in mortalibus Deos, summa laude prædicaverunt. Qui deinde ingenii sui memoriam proditis monumentis reliquerunt, ipsam artem tanti fecere, ut nullius hominis ingenio excogitari, aut sapientia perfici, vel in usum induci potuisse contenderent. Confer CICERONEM *Tuscul. lib.* 3. *cap.* 1. Recte etiam Medicina secunda Philosophia dicitur. Utraque enim disciplina totum sibi hominem vindicat; nam sicut per illam anima, ita per hanc corpus curatur. ISIDORI *Orig. lib.* 4. *cap.* 13. Medici salutis hominum curam agunt. *L.* 1. §. 1. *D. de extraord. cognit.* Inde merito hæc ars laudatur a PLUTARCHO, *de tuenda sanitate præcept. p.* 122. ut quæ *de reliquis liberalibus artibus nulli nitore, copia, jucunditateque*

teque cedens, *sui studiosis præmium spectandi porro largitur incolumitatem corporis atque sanitatem.* Isidorus Pelusiota, *lib.* 1. *Epist.* 391. ipsam τέχνην φιλόσοφον, *artem sapientem* vocat. Et Artaxerxes in Epist. ad Hippocratem, quæ est *inter Hippocratis tertia*, tali elogio illam ornat: *Inter utilissimas artes, quas ad sustentandam humanæ fragilitatis indigentiam Divina tribuerunt, nulla præstare videtur aliquid simile, quam quod potest auxiliaris Medicina conferre.* Quapropter & Cicero *de Offic. lib.* 1. *cap.* 42. eam inter honestas & utiles artes primum nominat: *Quibus autem*, inquit, *artibus aut prudentia major inest, aut non mediocris utilitas quæritur, ut Medicina, ut Architectura, ut Doctrina rerum honestarum, hæ sunt iis, quorum ordini conveniunt, honestæ.* Et *cit. L.* 1. π. Medicina aliis studiis, sive liberalibus artibus, diserte præfertur: *Medicorum quoque eadem causa est, quæ Professorum, nisi quod justior: cum hi salutis hominum, illi studiorum curam agant: & ideo his quoque extra ordinem jus dici debet.* Hinc qui illam colebant, merito in summo olim habebantur honore. Sic sapientissimi Auctoris libri *Ecclesiastici* præclarum exstat monitum, *cap.* 38. *vers.* 1. *Honora Medicum propter necessitatem*, ut Vulgata legit. Quibus verbis non intelligit, esse tantum *Medicos* eatenus honorandos, quod nonnunquam ad tuendam salutem necessarii videantur; sed quod eorum clara in hominum genus merita id prorsus postulent. Legitur enim in Græco, *Honora Medicum* πρὸς τὰς χρείας τιμαῖς αὐτοῦ, *ad necessitates honoribus ejus*: hoc est, quod debitus illi honor id requirat, quod ob præstantem illius dignitatem amplissimo sit honore mactandus, tamque illud videatur esse necessarium, ut non juste possit omitti. Bene igitur ad sensum licet longiori verborum ambitu, vertit Junius, *Affice Medicum suis honoribus convenientibus usui ipsius.* Sed in hoc quidem genere innumera possent afferri, quæ lubenter omittimus; & hæc pauca non otii consumendi gratia, aut quærendæ venustatis a nobis sunt proposita, verum ut quisque animadverteret, non immerito in nostra Lege, nec absque ratione Medicinæ doctoribus primum locum dari; quanquam illud ubique in jure haud observatur, nec etiam in ipso Legis titulo, qui audit quidem in *Cod. Theod. de Medicis & Professoribus*; sed apud *Justinian. de Professoribus & Medicis.* Confer §. 15. *Instit. de excus. tutor.* ubi vocantur *Grammatici*, *Rhetores*, *& Medici*, &c. & *L.* 6. §. 1. *ff. de excusat. Grammatici*, *Sophistæ*, *Rhetores*, *Medici* & §. 8. *Philosophos*,

ſophos, *Rhetores*, *Grammaticos*, *Medicos*. Vide & *L. ult.* §. *ult. de muner. & honor. L. ult. C. de Prof. & Medic.* & paſſim alibi. Attamen in *Cod. Theod.* frequentius accidit, ut *Medicis* honeſtior locus cedatur, iidemque vocentur præ *Grammaticis* & aliis *Profeſſoribus*. Nec mirum, dummodo & HOMERUS, quem omnium ſcientiarum compotem fuiſſe volunt, *Medicos* nominat πολλῶν ἀνταξίοις ἀνδρῶν, ſine comparatione præſtantes, qui facile omnes homines anteeant. Verſus integer ſic legitur, *Il.* 11. *v.* 514.

Ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀνταξίοις ἄλλων:

Medicus enim multis aliis viris anteponendus eſt. Verum ne hiſce immoremur, ratio poſtulat, ut potius ad ipſos *Medicos*, inprimis ad ſalutaris hujus artis Doctores ſtudium noſtrum ac cogitationem convertamus.

§. II. SUIDÆ *ad voc.* Ἰατρὸς *Medicus* dicitur *rei medicæ peritus*, *qui non ſolum morbis medetur*, *ſed etiam cauſam cognoſcit*, *ſecundum quam eos ſanat.* Qua deſcriptione rem acu tetigiſſe nobis quidem videtur, niſi quod peritus *Medicus* vel commoda vel incommoda in corpore futura quoque prænoſcat. HIPPOCRATES enim apud MACROBIUM *Saturnal. lib.* 1. *cap.* 20. ait, oportere Medicum dicere de ægro, τάτε παρεόντα, καὶ τὰ προγεγονότα, καὶ τὰ μέλλοντα ἔσεσθαι. id eſt,

Quæ ſint, *quæ fuerint*, *quæ mox ventura ſequentur.*

Non autem boni Medici nomen meretur, qui morbos eorumque cauſas ac phænomena tantum cognoſcit & notat; ſed qui hæc omnia bene quoque ponderat, atque quæ ex illis neceſſario ſequuntur determinat. Merito itaque Doctores hæc tria a *Medico*, ut peritus dici poſſit, requirunt; videlicet, quod ſciat, unde morbus traxerit originem; dein quo morbo laboret ægrotus; denique an de eo conclamatum ſit, an vero ſit ſpes convaleſcendi, & quæ ejus corpori commoda aut incommoda impendeant, ut de his cavendis, de illis promovendis opportune poſſit eſſe ſollicitus. Conf. NOODT. *lib. ſing. ad L. aquil. cap.* 8. *tom.* 1. *Op. p.* 149. Hæc ſi probe callet, jure habetur ſalutaris ac neceſſariæ artis Profeſſor, ut dicitur in *L.* 14. *Cod.*

Theod.

Theod. de Med. & Prof. vel cum Ulpiano, *L.* 1. §. 1. *ff. de extraord. cognit.* quod salutis hominum curam agat.

§. III. Apud Romanos autem latior erat vocis *Medicus* usus, quippe qua comprehendebantur non solum hi, qui morbis, sed & qui vulneribus, nec non & cuidam corporis parti medebantur: atque adeo amplum Medicinæ nomen erat, ut & universam exteriorum corporis humani partium curam ambitu suo complecteretur. Vide H. Lampii, *dissert. de honore &c. Medicorum*, *cap.* 1. §. 2. Sic Cicero *de Orat. lib.* 3. *cap.* 33. *An tu existimas, cum esset Hippocrates ille Cous, fuisse tum alios Medicos, qui morbis, alios qui vulneribus, alios qui oculis mederentur?* Itaque *Medici* nomen & apud Jurisconsultos late sumitur pro omnibus, qui vel internam vel externam humani corporis, seu alicujus partis sanitatem curant. Id quod clare liquet ex Ulpiani definitione, qua dubitationi, quinam *Medici* censendi sint, ita occurrit, *L.* 1. §. 3. *de extraord. cognit. Medicos fortassis quis accipiet etiam eos, qui alicujus partis corporis, vel certi doloris sanitatem pollicentur: ut puta si auricularius, si fistulæ, si dentium.* Quidam codices habent *auricularum*: nonnulli Manuscripti modo *oculorum*, modo *orcularius*. Qua varietate Fornerius, *lib.* 3. *Selectionum*, *cap.* 28. adductus fuit ad hanc forte non vanam conjecturam, ut legere maluerit, *ocularius*, qui videlicet oculos affectos curat; qui Celso, *lib.* 6. *cap.* 6. *p. m.* 352. *edit. Almelov. Medicus ocularius* appellatur: *Euelpides autem*, inquit, *qui ætate nostra maximus fuit, ocularius Medicus.* Herodoto *lib.* 3. *cap.* 1. ὀφθαλμῶν ἰατρὸς dicitur. Confer Ottonis *Thes. Jur. tom.* 2. *p.* 118. & Brodæi *Miscellan. lib.* 10. *cap.* 10. in Gruteri *Thes. Crit. ad calcem tomi* 6.

§. IV. Longius prorsus foret, atque instituto nostro nequaquam congruens, si de variis, quotquot in veterum scriptis occurrunt, *Medicorum* speciebus, hic accurate agere vellemus; dum explicationi nostræ Legis præcipuarum tantum breviori expositione satisfieri putamus. Inter quas hisce *Medicis* primus locus cedendus, qui morborum curam potissimum gerebant: quique ab Aug. Buchnero, celeberrimo oratore, *Dissert. Academ.* 156. *p.* 148. vere non minus quam eleganter depinguntur, ac *qui morbos, atrocissimos hostes vitæ nostræ, salutari arte submovent; nosque ex ægritudine decumbentes, tanquam ex captivitate & tenebris, in lucem ac libertatem reducunt.* Hi & *Medici Clinici* vocabantur, a κλίνη, *lectulus.* Nam Latini id vocabulum re-

retinent, apud quos *Clinicus* Medicus exponitur, qui in lectulo decumbentes invisit & curat. Et *Clinice* dicitur Medicina illa. PLINIUS, *lib.* 29. *cap.* 1. de Hippocrate; *Is, quum fuisset mos liberatos morbis scribere in templo ejus Dei, quid auxiliatum esset, ut postea similitudo proficeret, exscripsisse ea traditur, atque (ut Varro apud nos credit) jam templo cremato instituisse Medicinam hanc, quæ Clinice vocatur.* Vide STEPHANI *Thes. ling. Gr. tom.* 2. *p.* 259. *ad voc.* κλινὶς. Hæc Medicina κλινικὴ est, quæ corporibus victu & pharmacis medetur: & *Clinicus* est Medicus vel Medicaster, qui diæta curat, aut medicamentis. Vide BLANCARDI *lexicon med. ad voc. Clinicus.* & MARTINI *Lex. Philol. ad voc. Clinice.* Nomen *Clinicorum* per excellentiam etiam dabatur Medicorum nobilioribus, qui Imperatores inprimis τῇ κλίνῃ, *lecto* affixos, inviserent, eorumque convalescentiæ invigilarent. Quo facit *Epigramma* 31 MARTIALIS, *lib.* 1. de Diaulo Medico:

Chirurgus fuerat, nunc est vespillo Diaulus:
Cœpit, quo poterat, Clinicus esse modo.

Ubi Commentator, *Adspirabat Chirurgus Diaulus ad nobilissimam medicinæ partem, ut Clinicus tandem Imperatores lecto affixos viseret curaretque &c.* Plura vide de Medicis *Clinicis* apud MERCURIALEM *var. lect. lib.* 3. *cap.* 22. VOSSIUM *in Etymolog. ad voc. Clinicus.* HOFMANNUM *in Lexic. ad eandem voc.* & LAMPIUM *in dissert. de honore &c. Medicorum, cap.* 1. §. 2. *p.* 8. Et licet in Jure nostro illud nomen *Clinici* vel *Clinicorum* nusquam occurrat, nihilominus tamen specialis ibi aliquoties mentio fit ejusmodi Medicorum, qui ægrotis operam dabant, ac morbis medebantur. Sic *L.* 10. §. 1. *de negot. gest. Medicus, qui servum alicujus ægrum curavit, habet actionem negotiorum gestorum contra dominum, licet servus obierit.* Idem statuitur *L.* 1. *C. eod.* & *L.* 6. *C. de re milit. Medici relatio, referentis aliquem esse infirmum, nihil operatur, nisi diligens Judicis inquisitio fit.* & *L.* 9. *C. de Prof. & Med.* alibique. Nec aliter POLYBIUS, *Hist. lib.* 3. *cap.* 7. *Quorsum ægroto Medicus, qui causas ignoret affectionum corporis?* SENECA *epist.* 72. *Corpori enim ad tempus bona valetudo est; quam Medicus etiam si reddidit, non præstat.* CICERO *pro Cluent. cap.* 21. *Quod in morbis corporis, ut quisque est difficillimus, ita Medicus nobilissimus atque optimus quæ-*

ritur.

ritur. & *de Offic. lib.* 1. *cap.* 24. *Quapropter in adeundis periculis consuetudo imitanda Medicorum est, qui leviter ægrotantes leniter curant: gravioribus autem morbis periculosas curationes, & ancipites adhibere coguntur.* Ejusmodi *Medicos* morborum inprimis respicit quoque JULIANUS in decreto, quod plenius legitur inter ejus *Epist.* 25 & 26. *Artem Medicam*, inquit, *hominibus salutarem esse, usus ipse demonstrat. Quare eam e cœlo delapsam non immerito Philosophi prædicant. Etenim naturæ nostræ infirmitas, & valetudinis offensiones, quæ quotidie incidunt, per hanc corriguntur. Quamobrem sicut æquitatis ratio postulat, nos superiorum Regum auctoritatem & vocem secuti, pro nostra humanitate jubemus, vos senatoriis muneribus liberos in posterum vivere.* Sed in re per se clara & notissima non est, quod multis moremur.

§. V. Quamvis vero altera Medicinæ pars, quæ circa vulnera occupata erat, haud uno absolveretur negotio, erant tamen qui universam hanc vulnerariam artem profitebantur, quique in genere omnia, quæ hujus artis sunt, aggressi fuere: atque inde *Medici vulnerarii* vel *Chirurgi* sunt vocati: licet hæc appellatio rarior sit, & vix, quod sciam, in omnibus Juris nostri libris reperiunda. Attamen servata ea est antiqui ævi tabulis & inscriptionibus: ut ostendit LAMPIUS *de hon. &c. Medicorum, cap.* 1. §. 3. *p.* 9. Nomen *Chirurgus* compositum ex χεὶρ *manus*, & ἔργον *opus*, datum fuit *Medicis*, qui manibus suis & instrumentis in corpore humano operantur. ISIDORO *Orig. lib.* 4. *cap.* 9. *Chirurgia* est, quam Latini manuum operationem appellant. In PHILOXENI aliorumque *Glossariis* a LABBÆO editis, χειρουργὸς idem est ac *Opifex*, qui manibus operatur. Glossæ veteres hanc vocem exponunt per *Vulnerarium*, id est Medicum, qui vulnera curat. Plura dabit PITISCUS *in Lexic. Antiq. Rom. ad voc. Chirurgus.* Vide & JUL. POLLUCIS *Onomast. lib.* 2. *cap.* 4. *p. m.* 226. Hi Chirurgi *Medicorum* titulo ac dignitate ornati quoque sunt. Vide *L.* 4. §. 2. *in fine π. ad L. Cornel. de Sicar. L.* 7. §. *ult.* & *L.* 52. *pr. ad L. Aquil.* §. 1. *in fine Instit. de obligat. quæ quasi ex delicto.* & *L.* 6. §. 7. *de offic. Præsid. Medici* dicuntur, *qui vulnera curant, concurbitas admovent: item qui circumcidunt, aut castrant, Lib.* 5. *Pauli recept. sentent. Tit.* 23. §. 7 & 13. Confer CICERONEM *in Pison. cap.* 34. *Senecam Epist.* 75. & *de ira, lib.* 3. *cap.* 39. PLINII *Hist. Nat. lib.* 7. *cap.* 3. & 29.

1. *Gellium*, *lib.* 12. *cap.* 5. nec non PAULI *lib.* 5. *sentent. Tit.* 23. §. 19. *Tit.* 6. §. 62. & *L.* 18. §. 10. *de Instr. vel Instr. leg.* ex quibus omnibus abunde liquet, *Chirurgos* & inter *Medicos* fuisse habitos; vel ipsos *Medicos* olim *Chirurgorum* partes sustinuisse: sicut GALENUS *in lib. de curat. per. sang. mission.* diserte narrat, se aliquoties venas aperuisse. BRISSONIUS quoque pluribus ostendit, *select. ex Jure antiq. lib.* 2. *cap.* 4. *Medicos* olim apud Romanos χειρȣ́ργους, eorumque munus fuisse, quod ipsimet manibus suis venas inciderent, medicamenta praeberent, clysteres, emplastra, collyria admoverent, iisdemque omnibus, quibus hodie Chirurgi, partibus fungerentur. PLINIUS eos *Medicos vulnerum* appellat, *cit. lib.* 29. *cap.* 1. Vocati etiam sunt *Medici Chirurgi*, ut ex inscriptione, quae Romae legebatur, demonstrat PIGNORIUS *de servis*, *p. m.* 34.

§. VI. *Medicis* morborum, & *Medicis* vulnerum tertio loco adjungendi veniunt *Medici* alicujus corporis partis, qui scilicet unius partis sanitatem vel solam, vel potissimum curabant. Eos quoque inter *Medicos* olim acceptos fuisse, jam supra ex ULPIANO ostensum est. Etenim quum vix hominis vitam omnibus Medicae artis partibus addiscendis sufficere intelligerent Romani, factum est, ut illi demum plenum *Medici* meruerint nomen, qui unius partis sanandae peritiam profiterentur, teste SCRIBONIO LARGO, *Epist. ad C. Julium Callistum.* Inter quos *Ocularios*, vel *Oculistas*, qui in curandis oculorum affectibus, tum per remedia Chirurgica, tum pharmaceutica, periti erant, haud infimum locum tenuisse constat. Vide SERTOR. URSATUM *de notis Roman. in* GRAEVII *Thes. Antiq. Rom. tom.* 11. *p.* 855. Nec immerito, quandoquidem nulla humani corporis pars tot vitiis obnoxia est; ut nonnulli supra centum & viginti, alii longe plures distinctas eorum affectiones observarint. Atque ita totam sanandi artem a CICERONE *cit. lib.* 3. *de Orat. cap.* 33. datam ac dispertitam ostendimus tribus potius hisce *Medicorum* generibus; *Medicis*, scilicet, *qui morbis, aliis qui vulneribus, aliis qui oculis mederentur.* Fuisse etiam apud Romanos, qui, Hippocratis aliorumque priscorum Medicorum exemplis, tribus istis Medicinae partibus simul fungebantur, manifestum est veteri hac inscriptione, quae Romae legitur: *P. Decimus L. Heros Merula, Medicus Clinicus, Chirurgus ocularius.* Vide VOSSII *Etymolog. ad voc. Clinicus.* & PITISCI *Lex. Ant. Rom. ad eandem voc.* Ejusdem *Medicos ocularios* respi-

spicit *L.* 3. *D. de extraord. cognit.* ubi mentio fit *Medici*, *cui curandos suos oculos, qui eis laborabat, commiserat.* Dicebantur *Medici oculares* vel *ocularii:* ut in inscriptione apud REINESIUM, *clas.* 11. *p.* 611. *Q. Clodius. Q. L. Niger Medicus. ocular.* atque in aliis apud FABRETTUM, *inscript. antiq. cap.* 4. *p.* 300. In PHILOXENI *Gloss.* græce vocatur ὀφθαλμικός, *ocularius.* Unde MARTIALI *lib.* 8. *epigr.* 74. *Ophthalmicus* est Medicus ocularis: & *Ophthalmica* sunt medicamenta adversus oculi mala. Plura videsis apud PITISCUM *ibid. ad voc. Ocularius.* & in LAURENTII *Polymathia, lib.* 2. *differt.* 21. *p.* 128. Occurrunt præterea & Medici *fistulæ*, & *dentium*, *L.* 1. §. 3. *ff. eod.* Quin &, qui reliquarum corporis partium sanitatem curabant, morbisque in illas incurrentibus medicinam præbebant, veluti capitis, aurium, &c. Nec non & *Obstetrices* apud Romanos *Medicis* annumerabantur, quæ manibus nascentes excipiebant, *L.* 3. *Cod. de post. heredib. instit.* quæque curam adhibebant mulierum passionibus, & ægrotantibus medicamenta supponebant. Qualis videtur fuisse illa *Secunda L. Julillaes Medica*, cujus memoria nobis servata est antiqua inscriptione, quam adducit PITISCUS *in Lex. Ant. Rom. tom.* 2. *p.* 175. *ad voc. Medicæ.* Confer BARTOLINUM *de ritu Puerper. p.* 37.

§. VII. Verum in *Medicorum* res obscuras ne nimis magnum studium conferre videamur, silentio prætereunda sunt, quæ de *Pharmacopolis*, de *Veneficis*, de variis *Medicorum sectis*, aliaque salutarem artem spectantia commemorari possent. De περιοδευταῖς tamen, & de *Medicis Castrensibus* aliquid dicendum. *Medici* περιοδευταὶ diserte memorantur *L.* 6. §. 1. *π. de excusat.* quæ appellatio adeo fuit honorifica, ut GALENUS *L.* 5. *de comp. medic. sec. loc.* Magnum quendam medicum elogio τῦ περιοδευτῦ laudet. Confer MENAGII *amœnit. jur. cap.* 35. *p.* 209. περιοδευτὴς proprie est *circuitor* vel *circulator*, a περιοδεύω, *circumeo*, *in orbem obeo.* Vide STEPHANI *Thes. ling. Gr. tom.* 2. *p.* 1182. περιοδεύω a περίοδος, *via circum aliquid ducens*, *ambitus*, *circuitus*, &c. Composita vox ex περὶ, quod in compositis sæpe *circumquaque in orbem* significat, & ὁδὸς, *via.* Atque ita vox περιοδευταὶ vertitur per *circuitores*, vel *circulatores*, ut habet vulgata lectio. Vide HUBERUM *in Prælect. ad Tit. Inst. de excusat. tutor.* §. 11. *p.* 71. & *in Digres. Justin. lib.* 3. *cap.* 23. §. 2. *p.* 216 & *seq.* ANT. AUGUSTINUS *ad Modestinum*, *p.* 243. seu *in tom.* 4. *Thes. Jur. Rom. p.* 1571. interpretatur potius per *circumforaneos*, imitatus Ci-

CICERONEM *pro Cluent. cap.* 14. ubi de *pharmacopola circumforaneo* loquitur. Quod prorſus haud improbandum, ſiquidem Medici *circumforanei* appellatio olim non erat opprobrio, ut hodie. Plura apud MENAGIUM, *l. c.* & SPONIUM *in Diſſert.* 27. *dans les recherch. cur. d'antiq. p.* 426. Verum noſtro judicio non incommode eos quis nominaret *Medicos circumambulantes*, vel *perambulantes*. Ita SENECA *de benefic. cap.* 16. agens de Medico, dixit, *Et me, inter eos, quos perambulat, ponit.* Ægros enim *perambulare* nihil aliud eſt, quam eos *viſitare* quocumque in loco, circumeundo per ædes & vicos, ſicut hodie adhuc Medicis in more eſt: quodque vocatur a CASSIODORO *var. lect. lib.* 6. *form.* 19. *Viſitatio ægrotantium*, vel *viſitare ægrotantes.* Atque ita περιοδευταὶ proprie nuncupati ſunt Medici *perambulatores* vel *viſitatores*, qui ad viſitandos ægros vagari & excurrere varia in loca ſolent: non vero, qui cyclo ſeu certo modo ac methodo curabant, ut eſt in DU CANGII *Gloſ. Latinit*, *tom.* 1. *p.* 1459. *ad voc. Cyclus.* Duas ob cauſas olim oberrare & circumire ſolebant Medici: vel commodorum parandorum gratia, ſi in minutis habitantes urbibus, ad vitam neceſſaria vix obtinebant: quamobrem coacti erant, ut ait GALENUS, *de par. art. med. cap.* 2. mutare loca, & in alias ſe conferre civitates. Sic Medicum ἀλῶντα, id eſt *oberrantem*, vocat AGATHIAS, *lib.* 2. Hi etiam περιοδευταὶ dicebantur, quia urbes & mercatus circuibant medicinæ faciendæ gratia. Ut vetus inſcriptio: *Medicus fora multa ſequutus.* Vide DU CANGII *Gloſſ. med. Græc. ad voc.* περιοδευταί. Verum *cit. L.* 6. §. 1. *de excuſat.* hujusmodi Medici *oberrantes* non deſignantur; ſed potius *Medici Clinici* περιοδευταὶ, qui ordinario modo ægrotantes lecto affixos viſitabant, proptereaque varios urbis vicos circumibant, ut ipſis copiam ſui facerent, & omnibus opem afferrent. Atque ita honorifica Medici muneris appellatio eſt; quæ omnino illuſtratur *L.* 42. §. 9. *C. de Epiſc. & Cleric.* ubi vocantur *Epiſcopus*, *aut Chorepiſcopus*, *aut Viſitator*, *ſive Circuitor.* Etenim olim Epiſcopi ad luſtrandam ſuam Diœceſim habebant Vicarios, quos dixére περιοδευτὰς, *Circuitores*, vel *Viſitatores*, de quibus vide SUICERI *Theſ. Eccleſ. tom.* 2. *ad voc.* περιοδευτής. Hi primum inſtituti ſunt in Concil. Laodiceno, Can. 57. ubi dicitur, *quod non oportet in vicis & pagis Epiſcopos conſtitui, ſed Periodeutas, hoc eſt Circumcurſatores.* Confer LABBEI *concil. tom.* 1. *p.* 1506. CABASSUTII *Notit. Eccleſ. Concil. p.* 157. LONGI a CO-

RI-

RIOLANO *summam Concil. p. 61.* DU CANGII *Glossar. med. Græcit. ad voc.* περιοδευτής. CARANZÆ *summam Concil. p. m.* 81. HARTMANNI *Concil. tom. 3. p.* 290. EHINGERI *Decreta Concil. p.* 130. JUSTELLI *not. in Cod. Can. in Bib. Jur. can. vet. tom.* 1. *p.* 89. nec non in MEIERI *Cod. Can. p.* 217. Eorum & nominis rationem & munus tangunt BALSAMON atque ZONARAS, *ad cit. Can. Circuitores autem*, inquit hic, *ex eo dicti, quod nullibi propriam sedem cathedramque habentes, huc & illuc fidelibus in officio continendis vagentur.* Vide BEVEREGII *Pandect. Canon. tom.* 1. *p.* 479 *& seq.* CRESOLLII *Mystagogum*, *lib.* 4. *cap.* 19. *p.* 1065. & inprimis BÖEHMERUM *in jure Eccles. Protest. tom.* 3. *p.* 575 *& seq.* PET. DE MARCA *de Concord. sac. & imp. lib.* 2. *cap.* 13. §. 6. ZIEGLERI *not. ad Jus Canon. lib.* 1. *tit.* 26. *p.* 194. Verum enim vero a Medicis nostris περιοδευταῖς toto cœlo diversi erant illi homines, qui ad curanda debilium corpora deputabantur, & quorum sexcenti in Alexandria civitate constituti sunt, dicti *Parabolani*, *L.* 18. *Cod. de Episc. & Cler.* Nec non & isti impostores circumforanei seu circulatores, quibus constabat vaga illa Agyrtarum & Aretalogorum natio, quæ serpentes circumferebat, variisque præstigiis rudi plebiculæ imponebat, quibus tamen si nocuissent, extraordinarii criminis rei censebantur. *L.* 11. *de extraord. crim.* De hisce late videsis agentem LAMPIUM *in Dissert. de honor. Medicor. p.* 260 *& seq.*

§. VIII. Ad Medicos autem *Castrenses* quod attinet, hos silentio prorsus præterire eo minus convenit, siquidem quibus Jus immunitatem quoque indulsit, non tantum graviorum munerum quandam vacationem, in *L. ult.* π. *de jure immun.* sed & omnium munerum civilium, dummodo in constituto numero erant, *L.* 1. *C. de Prof. & Medic.* ubi mentio fit *Medici legionis secundæ adjutricis.* Sic & *Medicus leg. X. Aug.* in GUDII *inscript. p.* 183. *num.* 8. unde quidam putant, singulas Legiones unicum tantum Medicum habuisse, qui *Medicus Legionis* dicebatur. Vide STEWECHIUM *ad Veget. lib.* 2. *cap.* 10. *p. m.* 96. & ex eo REINHARDUM *in Theat. Prudent. elegant. p.* 1659. §. 42. Sed ex vett. inscriptionibus, quas exhibet LAMPIUS *in laud. Dissert. de hon. &c. Med. p.* 271. *& seq.* ut & ZIMMERMANNUS *in Lex. Philos. Hist. p.* 511. *& seq. ad tit. Medici castrenses.* valde verisimile videtur, unamquamque Cohortem suum habuisse Medicum. Sequebantur enim Medici olim exercitus non minus ac hodie, qui corpora curarent, ac

ταυ-

τραύματα seu vulnera militum sarcirent. In bello Trojano noti Podalirius & Machaon, celeberrimi Medici, Æsculapii filii, de quibus VIRGILIUS *Æneid. lib. 2. vers. 263. & lib. 12. v. 304.* Cyrum etiam in exercitu suo optimos habuisse Medicos, SIXT. ARCERIUS docet *in not. ad Æliani Tactica, p. 102.* ex *Xenophonte. Medici autem*, inquit ARCERIUS, *in castris & exercitu licet nec ipsi pugnent, nec meliorem per se militem faciant, utiles tamen sunt & necessarii. Miles enim vulneratus, aut æger, si sciat, se ab artis ejus peritis tractatum ac curatum iri diligenter, ad subeunda & contemnenda pericula animosior redditur, magisque strenuus.* Quamobrem *Medicus*, quod de Machaone Nestor pronunciavit, multis aliis in bello est anteponendus. Inde artis Medicinalis necessaria in castris quoque curat LEO imp. *Tactic. Epilogo, art. 63. p. m. 430.* Verum non est dubitandum, quin *Medici militares* seu *castrenses* apud Romanos Chirurgi fuerint potius, qui manu medebantur, qui fractas partes jungebant, & luxatas in locum reponebant. Eorum enim in bello utilior longe industria, quam *Medicorum Clinicorum.* Confer MENAGII *amœn. jur. cap. 35. p. 226. & seq.* Hos ONOSANDER *in Strategico, cap. 1. §. 10.* ἑπομένους τοῖς τραυματίαις ἰατροὺς vocat: id est, *Medicos sequentes vulneratos*: seu ut vertit RIGALTIUS, *Medicos vulnerarios.* Et LEO Imperator, *lib. cit.* ἐπιμελομένους τὰ τραύματα, *curantes vulnera.* Vide RIGALTII *not. ad Onosandrum, p. 12.* Sed de his satis.

§. IX. De *Archiatris* denique & *ex Archiatris* nunc quoque dicendum. Lex enim vocat *Medicos, & maxime Archiatros vel ex Archiatris*: quod supra in *Paratitl. cap. 2.* ostendimus, non ita esse interpretandum, ac si hic prorsus omne *Medicorum* genus, inprimis vero *Archiatri vel ex Archiatris* designarentur: sed de posterioribus tantum esse intelligendum, utpote qui primarii & nobiliores erant *Medici*, quique veluti Doctores atque Medicæ artis Magistri considerantur, quibus solis, eadem ratione & modo ac aliarum facultatum Doctoribus & Professoribus, commemoratæ immunitates, honores mercedesque tribuuntur. E re nostra non foret, nugacissimas circa etymologiam vocis *Archiatri* opiniones hic proponere, quasi sic dicti, quod omnis mali & mœroris Principes essent: contra quas vide PAUL. ZACCHIAM, *quæst. Med. legal. lib. 6. tit. 3. quæst. 2. num.* 17. & *qu. 4. num.* 30. nec non adversus absurdam CHASSANÆI sententiam, *in catalogo Glor. mund. par. 6. consid. 13.* TIRA-

QUEL-

QUELLUM *de Nobilitate*, *cap.* 31. *num.* 18. Vox autem Ἀρχίατρος, *Archiatrus* seu *Archiater*, confecta est ex Ἀρχὴ *Principatus*, *Imperium*, *Magistratus*, &c. & Ἰατρὸς *Medicus*. Unde Ἀρχίατρος diversimode sumitur: vel ut τοῦ Ἄρχοντος ἰατρὸς *Principis Medicus*, qui in sacro Palatio militat: in plurali τῶν Ἀρχόντων ἰατροὶ, *Medici Principum*, de quibus postea. Ita accipiunt & explicant MERCURIALIS *de Potionib. ac Eduliis antiq. cap.* 14. *ex ejus variis Lect. insert.* GRONOVII *Thes. Ant. Græc. tom.* 9. *p.* 489 *& seq.* CASAUBONUS *ad Strabonem*, *lib.* 15. *p.* 1051. *noviss. edit.* DU CANGIUS *in Glos. Lat. tom.* 1. *ad voc. Archiatri.* MARTINIUS *Lex. Philos. ad Archiatrus* aliique. Sed hanc vocis formationem analogia non admittit. Rectius Ἀρχίατρος accipitur, tanquam Ἀρχὸς ἰατρῶν, *Princeps Medicorum:* id est, Medicus supremus, vel qui caput & dux aliorum Medicorum est, ideoque Primarius vel Senior dicitur: eodem modo ac Ἀρχιβουκόλος, *Princeps Pastorum:* Ἀρχιγραμματεὺς, *Princeps Scribarum:* Ἀρχιερεὺς, *Princeps Sacerdotum:* Ἀρχιεπίσκοπος, *Princeps Episcorum*; &c. Quo pertinent etiam *Archipræguſtator* & *Architriclinarchus*, in GUDII *inscrip. p.* 201. *num.* 5. Verum sciendum ἀρχὴ in hisce compositis non semper verti *Princeps*, sed interdum *Præfectus*, vel qui aliis præest, vel superpositus est. Sic PIGNORIUS *de servis*, *p. m.* 37. *Augustorum*, inquit, *familia agnovit etiam* PRINCIPEM MEDICORUM, ARCHIATRUM; *quem*, *ut in antiquo titulo est*, *ipsi vocabant* SUPERPOSITUM *Medicorum.* Atque ita Ἀρχίατρος verti etiam potest, *Qui Medicis præest*: Confer STEPHANI *Thes. ling. Gr. tom.* 1. *p.* 563. *ad hanc voc.* SCAPULA *in Lex.* interpretatur *Principem Medicorum*, *qui primarius est inter Medicos.* Cum vero Medici illi, qui cæteris præerant, præstantiores iis haberentur, hinc Medicorum præstantissimi dicti sunt *Archiatri. Fateor tamen*, inquit, CONRINGIUS *de Antiq. Acad. supplem.* 27. *p. m.* 259. *haud esse vero absimilem sententiam eorum*, *qui Archiatros dictos omnes omnino primarios Medicos arbitrantur.* Cum itaque *Archiatri* è primis medentium essent, ex iis Imperatores Medicos sibi sumpserunt, hinc postea translata vox *Archiater* etiam ad Imperatoris Medicum. Vide MENAGII *amœnit. Jur. cap.* 35. *p.* 224. Atque sic productum in morem, ut honorifico hoc titulo mactarentur nobiliores Medici, quasi Medicorum Principes, vel Principum Medicos dicas. Vide PATINI *comment. in antiq. Cenotaph. M. Artorii Med. Cæs. Aug. p.* 451. *in Actis Erudit. Lips. an.*

 1690.

1690. *p.* 362. & Ant. Velseri *Epist. ad Fabrum ad calc.* Pignorii *lib. de servis, p. m.* 279.

§. X. Erant autem hi *Archiatri* duplicis generis: alii nempe Urbium principum seu regiarum, Romæ & Constantinopoleos: alii Palatini, aut S. Palatii. Sic in *L.* 8. *Cod. de metatis*, loquuntur Imperatores Theod. & Valens, *Archiatros nostri Palatii, nec non urbis Romæ, &c.* Confer Fabretti *inscript. antiq. cap.* 4. *p.* 301. & Libellum editum sub tit. *Medicus Roman. servus sexaginta solidis æstimatus*, §. 3. *p.* 13 *& seq.* cujus Auctor latere quidem voluit, sed quem detegit Corn. a Beughem *Bibliogr. Med. & Phys. p.* 34. affirmans celeb. *Böckelmannum* fuisse; qui ut de re sibi facile certissima palam testatur, nil est cur ei fides plenissima haud sit habenda. Isto scripto, tacito suo nomine, voluit se vindicare Böckelmannus a collega medico *Drelincourtio.* Vide Placcii *Theat. Anonym. &c. num.* 1012. *a. p. m.* 250 *& seq.* Ad *Archiatros Urbium* quod attinet, hi simpliciter *Archiatri* vocantur, *L.* 4. 8. 9. *&* 13. *C. Theod. de Med. & Prof.* ac Populo obsequebantur, unde Populares dicti. Eorum Romæ tot erant, quot Urbis regiones, quatuordecim scilicet, *L.* 8. *dict. Tit.* exceptis his, quos Porticus *Xysti*, (uti rescribendum monet Gothofredus *in comment. ad. d. l.*) & Virgines Vestales peculiares sibi habebant. Verum nequaquam adeo expeditum est definire numerum *Archiatrorum* Urbis Constantinop., quum ea de re in utriusque Cod. libris altum sit silentium. Vide Gothofred. *ad L.* 3. 4. *&* 8. *C. Theod. de Med. & Prof.* Ex his vero tractu temporis Imperatores sibi sumpserunt proprios Medicos, quibus sospitatem suam committebant, quique Cæsaris Medici erant, diversi a Popularibus seu Medicis Urbium. Et quoniam Principum valetudo curanda illis proprie erat concredita, hinc dicebantur *intra penetralia regalis aulæ florere*, *L.* 12. *C. Theod. de Medic. & Prof.* & *militare intra Palatium*, *L.* 16. *&* 18. *eod.* ut & *L. unic. Cod. de Comit. & Archiat. S. Palat.* Attamen & simpliciter *Archiatri* vocantur in *L.* 2. *C. Theod. de Med. & Prof.* Omnes enim Medici, qui in aula Imperatorum, inque eorum comitatu medicinam faciebant, *Archiatri* postea sunt vocati; & quidem κατ' ἐξοχὴν, ut vult Conringius *de Ant. Acad. supplem.* 27. *p.* 259. Talis erat Andromachus Cretensis, Νέρωνος Ἀρχίατρος, Medicus Neronis, teste Galeno, *lib.* 1. *de antid. cap.* 14. & *de ther. ad Pis. lib.* 1. *cap.* 5. quem

Ero-

EROTIANUS *in Præfat. Lexici sui* ad eundem hoc titulo alloquitur, Ἀρχίατρε Ἀνδρόμαχε: de quo & VOSSIUS *de scient. Mathem. cap.* 35. §. 10. *p.* 161. Dicti etiam sunt *Medici Palatini*, qui in Palatio militabant. Etenim juxta *Scholiasten Juliani Antecessoris poët. Epigram. cap.* 28. *omnes qui in Palatio militant, possunt appellari Palatini.* Sic LAMPRIDIUS *in Alexandro Severo, cap.* 42. *Medicus sub eo unus Palatinus salarium accepit: cæteri omnes, qui usque ad sex fuerunt, annonas binas aut ternas accipiebant, ita ut mundas singulas consequerentur, alias aliter.* Vide ibi not. SALMASII.

§. XI. Verum Lex nostra de *Archiatris* non solum loquitur, sed & de *ex Archiatris*. Quinam hi fuerint, ac qualemcunque habuerint relationem seu respectum ad priores, res nobis videtur obscurissima: neque est considerati hominis, in re vetustate & silentio historiæ oblitterata confidentius quidquam statuere. Glossator *ex Archiatris* exponit, ac si intelligeretur *aliquis: puta unus vel plures* ex Archiatris. Quæ explicatio vera quidem, nullius tamen est momenti. CUJACIUS ad nostram Legem verbo tantum monet, per *ex Archiatris* intelligendos, *qui dimissi sunt e Palatio sive Comitatu:* hoc est, qui ea professione erant defuncti, vel honoris ergo, tanquam veterani & emeriti, vel quavis alia honesta causa dimissi. Atque ita *ex Archiatris* idem esset, ac *Exarchiatri*, qui aliquando *Archiatri* fuissent: quomodo & *Exconsules*, *Exprætores*, *Exjudices*, &c. quos antiqui dicebant *Consulares*, *Prætorios*, &c. Confer ISIDORUM, *lib.* 9. *cap.* 3. & PIGHII *not. in Val. Maxim. lib.* 3. *cap.* 7. *p.* 298. *edit. Torrenii.* Verum quamvis & GOTHOFREDUS *in Paratitl. ad tit. C. Theod. de Med. & Prof.* eandem tenet sententiam, nobis tamen non licet ei acquiescere, propter postrema Legis nostræ verba; *Mercedes etiam eis & salaria reddi jubemus, quo facilius liberalibus studiis & memoratis artibus multos instituant:* quæ in hujusmodi *Exarchiatros*, seu emeritos atque dimissos vel minime videntur quadrare. Magis autem arridet conjectura M. MATTII, *lib.* 1. *Opinion. cap.* 1. *in* ROBERTI *Miscel. Ital. tom.* 4. *p.* 345. *& seq.* Cui verisimile videtur, hos *ex Archiatris* ejusmodi fuisse respectu aliorum Archiatrorum, ac *Exiatros* respectu Medicorum, qui scilicet medendi rationem ab iis postulaverint. Et sic accipiendi quasi judices aut præfecti Archiatrorum, qui præfuerint omni medendi negotio, quorum sententia Medicorum lites dirimebantur, quique *ex Archiatris* utpote electi, in-

de *ex Archiatris* nuncupati fuerint. Quoniam autem cum de vero ambigitur, quid quæri conjectura solet, ita fortasse nec inconsulte nec temere quis vel auguraretur, per illos *ex Archiatris* in Lege eosdem intelligi, qui, & *Comites Archiatrorum* dicti sunt. Etenim utrique Archiatrorum generi, tam Urbium quam Palatinorum, præfecti erant Comites Archiatrorum, qui inter salutaris artis Magistros eximii habebantur, ac reliquis Archiatris superiores, *L.* 11. *C. de Prof. & Med.* ubi eorum mentio fit, *qui in S. Palatio inter Archiatros militarunt, cum Comitivam primi ordinis vel secundi adepti fuerint.* Et *L.* 12. *C. Theod. de Med. & Prof.* primo loquitur in genere de *Archiatris*, *qui intra penetralia Regalis aulæ totius vitæ probitate floruerunt*, *&c.* dein in specie de illis, *qui Comitivæ honore donati sunt*, (*ut consuetudo poscebat*) *&c.* quod sæpius ita fit in utroque Cod. Hi *Comites Archiatrorum* a Principe ad consilium præ reliquis requirebantur, atque velut præsules eorum erant, quibus suam committebat sospitatem; (vide CASSIODORI *var. lib.* 6. *form.* 19.) quibusque ad maximas etiam dignitates patebat aditus: ut exemplo suo ostendit Clarissimus *Vindicianus*, Comes Archiatrorum, & imperante Valentiniano Proconsul; cui inscribitur *L.* 12. *C. Theod. de Med. & Prof.* & *L.* 9. *de Metallis.* Cujus etiam exstat Epistola ad Valentinianum Imp. præmissa *Operi* MARCELLI EMPIRICI, *tom. ult. Medicorum auctorum*, *p.* 248. Vide GOTHOFREDI *comment. ad d. L.* 12. Idem quoque hic *Vindicianus* Comes Archiatrorum est, qui ab AUGUSTINO laudatur, *lib.* 4. *Confess. cap.* 3. ut *Vir sagax*, *Medicæ artis peritissimus, atque in ea nobilissimus:* quemque in *Ep.* 5. *ad Marcellinum* (quæ inter ejus *Epist.* est 138. in *noviss. edit. Benedictin. tom.* 2. *p.* 112. §. 3.) *magnum illum nostrorum temporum Medicum Vindicianum appellat.* Confer TILLEMONTII *Comment. comp. Hist. Eccles. in Actis Erudit. ad an.* 1704. *p.* 122. Verum de his flexiloquis & obscuris *ex Archiatris* plus etiam satis.

§. XII. Aliud nihil nunc restat, nisi quod paucis a nobis observetur quoque, hisce *Archiatris* & *Archiatris* medicinalem artem in Regiis urbibus docendi munus impositum fuisse: quod contra CONRINGIUM, qui *Antiq. Academ. dissert.* 6. §. 3. & *in supplem.* 16. §. 1. contrarium statuit, validis argumentis probant LAMPIUS *de honor. &c. Med. cap.* 3. *sect.* 2. §. 63. & GOTHOFREDUS *ad L.* 3. *&* 9. *C. Theod. de Med. & Prof.* Quorsum enim pertinerent ultima nostræ Legis verba, *quo facilius*

cilius

cilius liberalibus ſtudiis & memoratis artibus multos inſtituant, niſi *Archiatri* & *ex Archiatris*, quibus *Profeſſores alii litterarum* & *Doctores legum* mox conjunguntur, ipſimet ſalutaris artis Magiſtri, ſeu Doctores vel Profeſſores quoque fuiſſent? Quin imo diſerte ipſi etiam Archiatri ſ. Palatii *ſalutaris & neceſſariæ artis Profeſſores* dicuntur, *L.* 14. *C. Theod. de Med. & Prof.* Veteres enim Ἰατρικὴν, ſeu Medicinam, dividebant in διδασκαλικὴν & ἐργάτιδα, in Theoricen & Practicen: & Ἰατροσοφιστὴς *Medicus* ſimul, & *Medicinæ Profeſſor* eſt. Vide Du Cangii *Gloſſar. Græcit. ad h. v.* & Suidam *in* γένιος. Inde & Medicorum collegium vocatur *Archiatria*, *L.* 8. *dict. tit.* Medicis etiam in Urbe Roma ſuum locum & ſcholam ad diſputandum fuiſſe, multis imaginibus, atque marmoribus ornatiſſimam, ex ruinis & inſcriptis Romæ lapidibus obſervavêre nonnulli, teſte Mart. de Roa *Singular. tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 2. *p.* 431. & *ſeq.* Quod & manifeſtum hac Inſcriptione, quæ olim in tabellula quadam, una cum multis aliis vetuſtate pene conſumptis, Romæ ad D. Sebaſtiani reperta eſt:

M. LIVIO CELSO TABULARIO
SCHOLÆ MEDICORUM
M. JULIUS EUTYCHUS
ARCHIATROS OLL. D. II.
INFR. PED. IIII.

Vide Mercurialem *de Potionib. &c. Antiquorum*, *cap.* 14. *in* Gronovii *Theſ. Antiq. Gr. tom.* 9. *p.* 490. Sic & a Reinesio, *Var. lect. lib.* 3. *cap.* 11. *p.* 509. recenſentur Cyrus Archiater Edeſſæ, Andreas Comes Archiatrorum, Euſebius medicorum potiſſimus, Epictetus Archiater, Gelaſius, Cæſarius, Paſinicus, & Euſtathius; *quos omnes*, inquit ille, ad *Archiatrorum ſcholam, quæ poſt Conſtantini M. tempora primum inſtituta fuit a Principibus, & ſub Theodoſiis nominatos modo iſtos fovit, pertinuiſſe clarum eſt.* Quibus plura addere non neceſſe eſt.

CAPUT QUINTUM.

De Grammaticis.

§. I.

Lex Medicis secundo loco adjungit *Grammaticos*, de quibus nunc agendum. Ac a nomine quidem disciplinæ initium fiat. Quod satis simplex est, cum a primis ejus initiis petatur. Abunde enim constat, γραμματικὴν dici ἀπὸ τῶν γραμμάτων, a *Literis*, quasi *Literariam* dicas. Itaque *Literatura* vocatur a QUINCTILIANO, *inst. orat. lib.* 2. *cap.* 14. & ab aliis, qui citantur a VOSSIO *de arte Gram. lib.* 1. *cap.* 1. *p.* 2. Confer WOWERIUM *de Polym. cap.* 4. *p. m.* 32. *& seq.* γράμματα enim Græci *Literas* vocant, a γράφω, seu γράφειν *scribere.* Inde γραμματικὸς, *Grammaticus*, quasi dictus *Literarius*, seu *Literatus.* Quicquid enim literis erat inscriptum, Græci γραμματικὸν, Latini *Literatum* dixerunt. Sic γραμματικὸν ποτήριον apud ATHENÆUM, *lib.* 11. est *poculum literatum*, vel *literis insculptum:* de quibus poculis literatis, quorum usus frequens apud veteres, agentem inspice CASAUBONUM, *Animadv. in Athen. lib.* 11. *cap.* 5. *p.* 786. *& seq.* Verum γραμματικὸς etiam est, qui literas docet, quique Latinis *Literator* vel *Grammaticus* dicitur. Sic apud PLUTARCHUM *de Musica*, *p.* 1131. & *de ira cohibenda*, *p.* 458. Confer POLLUCIS *Onom. lib.* 4. *cap.* 2. Unde γραμματικῶς *Grammatice:* & γραμματικεύομαι, *Grammaticum* seu *Literatorem ago.* Vide STEPHANI *Thes. ling. Gr. tom.* 1. *p.* 862. in PHILOXENI *Glos.* γραμματικὸς, *Grammaticus*, *Literarius.*

§. II. Γραμματικὴ autem per se adjectivum, tanquam subaudiatur τέχνη, vel μάθησις, vel διδασκαλία, est disciplina, vel apud ISIDORUM, *lib.* 1. *cap.* 5. scientia recte seu pure loquendi, secundum analogiam & consuetudinem linguæ. Ejus primordia *Literæ* communes existunt, quas librarii & calculatores sequuntur, quorum disciplina velut quædam *Grammaticæ* artis infantia est. ISIDOR. *ibid. cap.* 3. Antiquissimis temporibus

ribus *Grammatica* apud Græcos ars erat legendi & scribendi. Ita definitur in legibus Charondæ, quas recenset DIOD. SICULUS, *lib.* 12. *tom.* 2. *p. m.* 80. *Literarum enim scientiam*, inquit, (Gr. γραμματικὴν) *cæteris disciplinis haud immerito præferendam censuit. Hujus enim adjumento res plurimæ & communi vitæ maxime conducibiles, ut suffragia, epistolæ, testamenta, leges, aliaque ad rectam vitæ institutionem necessaria conficiuntur, &c.* Quin imo & Homeri ævo Grammaticam quandam Empiricam seu Usualem apud Græcos jam fuisse, vel certam loquendi & scribendi normam, ab usu & longa consuetudine introductam, tacitoque populorum consensu approbatam, tum ex eo patet, quod Alcinous rex Phæacensium Ulyssi differenti μορφὴν ἐπέων, hoc est, *formam verborum* tribuit, *Odyss. lib.* 11. *v.* 366. tum etiam inde manifestum est, quod hac ætate Usus jam certam verborum copiam, & significationem, & flexionem, & structuram, & pronunciationem in Græciam introduxit. Vide REIMMANNI *Iliad. post. Homer. p.* 105. & *seq.* Postquam vero cœpta sunt artis præcepta observari, origines indagari, proprietates vocum tradi, auctores omnes a certo hominum genere explicari; *Grammaticæ* simul nomen ad variam adeo cognitionem extendi quoque cœpit. Imo huic soli *Grammaticæ* nomen est attributum: at legendi scribendique ratio, veteri nomine spoliata, fere vocabatur *Grammatistica*; atque tunc magis πρόδρομος, antecursoria vel præcursus, quam pars artis putabatur. Confer VOSSIUM *de arte Gram. p.* 5. Quomodo & distincti fuere γραμματικοὶ καὶ γραμματισταὶ, *Grammatici* & *Grammatistæ*: ut apud Latinos *Litterati* & *Litteratores*. Vide SUETONIUM *de illust. Gram. cap.* 4. *Sunt*, inquit, *qui Litteratum a Litteratore distinguant, ut Græci Grammaticum a Grammatista.* Quod discrimen magni est momenti, & ab omnibus, qui diligentius sive Græce, sive Romane loquuntur, accurate servatum. S. SEXTUS EMPIRICUS *adversus Grammat. lib.* 1. *cap.* 2. *Grammatica ergo, diversa significatione, & communiter accipitur, & proprie. Ac communiter quidem, pro cognitione cujusmodicunque literarum, seu Græcarum, seu barbararum, quam* γραμματιστικὴν, *Grammatisticen, appellare consuevimus. Proprie autem est perfecta illa & absoluta, & qualis fuit elaborata studio ac diligentia Cratetis Mallotæ, & Aristophanis, & Aristarchi. Videtur autem utraque ex quadam notatione ejusdem nominis esse appellata. Prior enim a literis, quibus signamus voces articulatas. Posterior autem fortasse quidem, ut nonnulli*

cen-

censuerunt, ut distingueretur a priore, est enim illius pars. Et paulo post: *Ita enim perfecta Grammatica, a literarum cognitione in initio nominata, extensa est ad cognitionem, quæ versatur in variis magis magisque artificiosis circa literas præceptis. Fortasse autem, ut dicit Asclepiades, ipsa quoque nominata est a literis, sed non ab iisdem, a quibus Grammatistica, seu ars Literatoria. Sed illa quidem, ut dixi, dicitur ab elementis: hæc vero a scriptis, in quibus versatur.* Inde apud Latinos per *Litteratos*, seu *Grammaticos*, intellecti Poëtarum interpretes, ut vocantur a CICERONE, *lib.* I. *de Divinat. cap.* 18. Confer FORSTERUM *de jure-interp. lib.* I. *cap.* 2. *in* OTTONIS *Thes. Jur. Rom. tom.* 2. *p.* 957. per *Litteratores*, vero, vel *Grammatistas*, qui primas litteras aut elementa docent. Sic SUIDÆ γραμματιστὴς, *Grammatista* est *Literator, sive qui prima elementa docet.* Idem in PHILOXENI *Gloss.*

§. III. Isti *Grammatistæ* dein & *Ludimagistri* sunt nuncupati, qui primas litteras docent, vel *primam litteraturam*, ut vocat SENECA, *Epist.* 88. & quoniam tractu temporis in ludis suis variarum artium elementa tradere, atque auctores etiam pueris enarrare cœperunt; hinc omnes illi *Grammatistæ* ac *Literatores* dicti sunt, qui mediocriter essent eruditi, ac potissimum, si iidem Ludi essent magistri. Confer VOSSIUM, *l. c. p.* 6. Vocabantur etiam *Magistri Litterarii*, & *Magistri ad prima elementa.* AUGUSTINUS, *lib.* I. *Confess. cap.* 20. illos *primos Magistros* nominat: *Quid autem*, inquit, *erat causæ, cur Græcas litteras oderam, quibus puerulus imbuebar, ne nunc quidem mihi exploratum est. Adamaveram enim Latinas, non quas primi Magistri, sed quas docent qui Grammatici vocantur.* Et per contemtum de illis loquitur, *cont. Advers. leg. &c. lib.* I. §. 52. *in tom.* 8. *Oper. p.* 411. *edit. Benedict.* ajens: *Legunt quippe isti Litteriones: sic enim potius, quam Litterati appellandi sunt, qui legendo Litteratos nihil sapere didicerunt.* Apud ULPIANUM, *L.* I. §. 6. *de extraord. cognit. Ludi litterarii Magistri* dicuntur: & a FL. VOPISCO *Pædagogi litterarii, in Bonoso, cap.* 14. ab initio. Atque ita hi *Grammatistæ* in nostra Lege cum *Grammaticis* nequaquam sunt confundendi. Magnum enim inter utrosque discrimen: quod & observat TERTULLIANUS *de Idolatr. cap.* 10. *p. m.* 90. ubi loquitur de *Ludimagistris, & cæteris Professoribus literarum.* Litteratores autem proprie sunt magistri litterarii, seu *Grammatistæ*, qui rudibus pueris prima elementa dabant:

bant: *Grammatici* vero Magiſtri & Profeſſores litterarum, qui abſolute ſunt docti, & prioribus longe nobiliores ac politiores; quique majori dignitate, ingenio & eruditione excellentiori erant in civitate. Eleganter diſtinguuntur a GELLIO *lib.* 18. *cap.* 9. hiſce verbis: *Tum, ex his qui aderant, alter literator fuit, alter literas ſciens, id eſt, alter docens, doctus alter.* Poſtrema verba recte addidit GUIL. CANTERUS ex M. S. Buſlidianæ Bibliothecæ, ut monet GRONOVIUS *ad h. l.* Confer SCHOTTI *Obſervat. human. lib.* 3. *cap.* 14. *p.* 144. Jus Civile idem diſcrimen inter Ludimagiſtros & Profeſſores obſervat. Litteratores enim, ſive Ludi litterarii magiſtri, nec Profeſſorum numero ſunt, *d. L.* 1. §. 6. nec vacationem munerum habent, *L.* 11. §. 4. *de muner. & honor.* Plura ad hanc rem dabit WOWERIUS *in Polymath. cap.* 4. *p. m.* 37. *& ſeq.* ſeu in GRONOVII *Theſ. Antiq. Græc. tom.* 10. *p.* 1017. *& ſeq.* Eodem modo & CAPITOLINUS diſtinguit, in *Anton. Philoſop. cap.* 2. *Uſus eſt*, inquit, *magiſtris ad prima elementa Euphorione literatore, &c. Uſus præterea Grammaticis, Græco, Alexandro: quotidianis Latinis, Troſio Apro, & Pollione, &c.* Et LAMPRIDIUS *in Alexan. Severo, cap.* 3. *In prima pueritia literatores habuit Valerium Cordum, &c. Grammaticum in patria Græcum Nebonem, &c. Romæ Grammaticos, Scaurinum Scaurini filium doctorem celeberrimum.* Hæc omnia fuſius paulo proſequi neceſſe fuit, utpote qui compertum habemus, viros etiam eruditos plurima quidem de *Grammatiſtica* & *Grammatica* magno labore congeſſiſſe: ſed qui differendi elegantiam velut contemnentes, nec ad varium harum vocum uſum ac ſignificationem bene attendentes, inde de ipſis *Grammatiſtis* & *Grammaticis* non niſi confuſe quoque & permixte locuti ſunt; atque *locos Auctorum*, ut ait VOSSIUS *de art. Gram. p.* 6. δὶς διὰ πασῶν *differentes, tanquam geminos, quaſi unum in penum conjecerunt*: æque ac parum differret, ſeu recte ſeu perperam ſcribere.

§. IV. Ad *Grammaticam* autem quod attinet, cujus doctores *Grammatici* dicti; cujusque origo Hermeti Trisgemiſto tribuitur a PLATONE *in Philebo*: vide BRUCKERI *Hiſt. crit. Philoſ. tom.* 1. *p.* 263. §. 6. hæc a DIOMEDE, *lib.* 2. *p.* 421. *edit. Putſchii*, ita definitur, quod *tota præcipue conſiſtat intellectu poëtarum, & ſcriptorum & hiſtoriarum prompta expoſitione, & in recte loquendi ſcribendique ratione.* Qui addit porro: *Grammatici officia, ut aſſerit Varro, conſtant in partibus quatuor, lectione, enarra-*

ratione, *emendatione*, *judicio*: quas partes distinctius explicat. QUINCTILIANUS, *lib.* 1. *inst.* *cap.* 4. *Grammaticam* brevissime in duas partes dividit, *recte loquendi*, scilicet, *scientiam*, & *poëtarum enarrationem*: de qua divisione asserit atque demonstrat, quod *plus habeat in recessu*, *quam fronte promittit*. CICERO *in Orat.* *lib.* 1. *cap.* 41. quatuor partes enumerat: *Poëtarum pertractationem*, *historiarum cognitionem*, *verborum interpretationem*, & *pronuntiandi quendam sonum*. SENECA, *Epist.* 88. paulo ab initio, in tres partes digerit: *Grammaticus*, inquit, *circa curam sermonis versatur*; & *si latius evagari vult*, *circa historias*. *Jam ut longissime fines suos proferat*, *circa carmina*. Verum omissis cæteris sciendum est, apud antiquos γραμματικὴν in varias partes fuisse divisam, pro libidine eorum, qui ejus officia & subjectum, circa quod versari debebat, describebant. Vide MAUSSACI *dissert. crit. notis in Harpocrationem præmiss.* *p.* 381. WOWERII *Polymath.* *cap.* 8. TH. GARZONI *Emporium*, *tom.* 1. *discursu* 4. *p.* 104. Communiter autem Grammaticorum filii suam artem dividunt in τεχνικὴν seu μεθωδικὴν, quæ rationem recte loquendi edocet: ἐξηγητικὴν, quam auctorum vel poëtarum enarrationem transfert QUINCTILIANUS, *l. c.* & κριτικὴν, seu judiciariam. Confer MORHOFII *Polyh.* *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 1. §. 2. & SCHOTTI *Tullian. quæst.* *lib.* 4. *p.* 282. & *seq.* *Methodica* autem in loquendo & scribendo, *Exegetica* seu *Historica* in legendo & enarrando, & *Critica* vel mixta in judicio est: Hinc tria Grammaticorum genera observantur. Alii τεχνικοὶ, qui rationem recte loquendi docebant, ad quam duo pertinent, lectio & emendata locutio. Alii ἱστορικοὶ, qui in scriptorum interpretatione versari solebant, quum explicarint poëtas; prout Plautum illustrarunt veteres Grammatici Aruntius Celsus, Flavius Caper, & L. Sisenna. Alii κριτικοὶ, quorum opus & studium consistebant in emendatione & judicio de Codicibus, quibus Grammatici statuebant pretium. Cujus rei exemplum legitur apud GELLIUM, *lib.* 5. *cap.* 4. *Apud Sigillaria*, inquit, *forte in libraria ego & Julius Paulus poëta*, *vir memoria nostra doctissimus*, *consederamus*: *atque ibi expositi erant Fabii Annales*, *bonæ atque sinceræ vetustatis libri*, *quos venditor sine mendis esse contendebat*. *Grammaticus autem quispiam de nobilioribus*, *ab emtore ad spectandos libros adhibitus*, *reperisse unum in libro mendum dicebat*: *sed contra librarius in quodvis pignus vocabat*, *si in una uspiam litera delictum esset*. *Ostendebat Grammaticus ita scriptum*

tum in libro quarto, *&c.* Confer WALCHIUM *Hist. crit. Lat. ling. cap.* 4. *p.* 247. Cum dicta artis definitione, seu divisione in tres memoratas partes, optime convenit SEXT. EMPIRICUS *adv. Grammaticos*, *lib.* 1. *cap.* 4. *Grammaticæ*, docet, *alia quidem pars est historica: alia artificiosa: alia autem magis propria, per quam certa via ac ratione tractantur, quæ sunt apud poëtas & scriptores. Ex quibus* ARTIFICIOSA *quidem est illa, in qua præcipiunt de elementis & partibus orationis, & ortographia, & linguæ Græcæ proprietate, & iis quæ hæc consequuntur.* HISTORICA *autem ubi docent de personis, utpote divinis & humanis & heroicis: aut narrant de locis, ut de montibus vel fluviis: aut tradunt de commentis & fabulis, aut si quid est ejusmodi.* MAGIS PROPRIA *autem est, qua considerant quæ sunt in poëtis & scriptoribus, quatenus exponunt ea quæ dicuntur obscure, & judicant quæ sunt bona & quæ secus, & distingunt germana & genuina ab adulterinis.* Hæc descriptio probe conveniens est naturæ Grammatices, omniaque complectitur quæ ad hanc artem proprie pertinent.

§. V. Quum supra §. 2. ostendimus, Homeri ævo jam certam fuisse apud Græcos Grammaticæ speciem, seu loquendi & scribendi normam; hoc ita tamen non est accipiendum, atque si existimemus, hoc temporis articulo Grammaticam *Technicam* vel Methodicam, aut *Criticam* vel Judiciariam, Græcis jam fuisse usitatam: novimus enim *Technicam* circa Platonis demum tempora ex tenuibus principiis & observatiunculis congregari cœptam, adeoque Homerico ævo sex fere seculis esse recentiorem. *Historicam* autem & *Criticam* tum demum natam, cum *Technica* jam ex ephebis excessisset. Confer REIMMANNI *Iliad. post Hom. p.* 106. *& seq.* ubi longam seriem nobis exhibet vitiorum Homeri contra regulas Grammatices *Technicæ.* Verum quidem est, vocabulum *Grammatices* a primis literis formatum, atque antiquissimis temporibus illas quoque ad Grammaticorum curam vel maxime pertinuisse; imo inde *Grammatices* studia cœpisse, & forte etiam istic quondam desiisse. Quod innuit QUINCTILIANUS, *lib.* 2. *instit. cap.* 1. dicens: *Et Grammatice (quam in Latinum transferentes, Literaturam vocaverunt) fines suos norit, tantum ab hac appellationis suæ paupertate, intra quam primi illi constitêre, provecta. Nam tenuis a fonte, assumptis poëtarum historicorumque viribus, pleno jam satis alveo fluit: cum præter rationem recte loquendi, non parum alioqui copiosam, prope omnium maximarum artium scientiam amplexa sit.* Si tamen vera

volumus, *Historica* illa & *Critica* pars Grammatices non est Grammatico propria, sed postea ad eum accessit. *Technica* vero, seu *Methodica*, vel *Artificiosa* pars, etiam sola, constituit & absolvit *Grammaticum* proprie dictum, altera autem, *Historica* & *Critica*, ornat eum, & distinguit ab jejuno *Grammatista*: quæ tamen distinctio semel recepta ita invaluit dein, ut tempore QUINCTILIANI, publico loquendi usu, *Grammaticus* non diceretur, nisi qui istam *Historicam* & *Criticam* quoque profiteretur, æque ac τὰ γράμματα & *Literæ* notabant tunc etiam Eruditionem variam. Vide PERIZONIUM *ad Sanct. Minerv. lib.* I. *cap.* 2. *p. m.* 13.

§. VI. Verum ad *Platonem* ut revertamur, in confesso pene est, eum circa artem Grammaticam quædam movisse. Nam præterquam quod *in Philebo* docet, qua ratione litterarum doctrina tradi possit, *in Cratylo* habemus illam multum agitatam ventilatamque disputationem, utrum nomina significent φύσει an θέσει, natura an positi one. Vide VOSSIUM *de arte Gram. lib.* I. *cap.* 3. *p.* II. Et licet TURNEBUS, *præfat. in Timæum Platonis*, quæ exstat *in tom.* 3. *Oper. p.* 47. eum laudet, ut qui *primum grammatico Dionysio operam dedit, & infinitam literarum vim ac materiam ita scientia & cognitione comprehendit, ut optimus exstiterit non solum Grammaticus, verum etiam Poëta*; certissimum tamen est, omne ejus Grammatices studium non nisi in rudibus hujus artis initiis constitisse, quæ magis ad Exegeticen & vocum origines, quam ad Methodicen sive artis præcepta pertinent. Atqui hoc est, quod DIOG. LAERTIUS *ex Phavorini Variæ Hist. lib.* 8. de Platone refert, eum *primum Grammaticæ vim inspexisse.* Quod plane exponi debet de vocum originibus, in quibus se præbuit Grammaticæ peritissimum. Accurate enim in *Cratylo* suo de nominum natura ac ratione disputat, atque ex originatione nominis ipsius rei proprietatem & naturam indagat. Confer WOWERIUM *de Polym. cap.* 8. *p.* 74. Si autem Grammaticam *Technicam* respiciamus, atque *Criticam*, longe justius ejus auctor censetur *Aristoteles*, cujus ævo nulla artis præcepta discebantur, sed legendi tantum scribendique artificium. Verum hic primus voces distinxit in certas classes; nomina, scilicet, verba & copulas: primus quoque generum doctrinam prosecutus est, aliaque nonnulla explicuit; & cum aliis ejus ex scriptis perspicue dilucet; tum inprimis ex eo, quem e tribus superstitem habemus, *de re Poëtica* libro. Et sane CHRYSOSTOMUS *Orat.* 53. *de Homero*, cum dixisset,

Poë-

Poëtarum interpretes prius esse κριτικὰς vocatos, postea γραμματικὰς, quales fuere Aristarchus ac Crates; addit, multa etiam de Homero in dialogis disputari ab ipso Aristotele, *a quo ajunt initium cœpisse artem Criticam & Grammaticam.* Is enim non tantum Poëtarum mentem exposuit, quales Critici dicebantur; sed ea etiam docuit, quæ ad μέθοδον, sive artis Grammaticæ naturam pertinent. Vide VOSSIUM, *l. cit. p.* 11. Inde & ipsemet scribendo Grammatices & Rhetorices præcepta ita tenuit, ut ne sibi dictum ullum, ac ne verbum quidem esset supervacaneum; utque nullus verbis & figuris Græci sermonis aptius magisque proprie sit usus; referente JO. LUD. VIVE, *in comment. ad August. de civit. Dei, lib.* 8. *cap.* 12. *p. m.* 766. Cum Aristotele vixit *Theodectes*, qui ipsi familiarissimus fuit, adeoque gratus, ut dono ab eo Rhetoricæ artis opus acceperit, ut sub nomine suo ederet, sibique inscriberet. Hic de Methodo quoque egit, & cum Aristotele *verba modo, & nomina, & convinctiones, seu conjunctiones tradidit*, teste QUINCTILIANO *inst. orat. lib.* 1. *cap.* 4. *p. m.* 46. Postea Aristotelis ac Theodectiis inventis pluria accuderunt sequentes Philosophi, cumprimis Stoici, ut ex QUINCTILIANI *laud. l.* cognoscere est: inter quos *Chrysippus* potissimum memorandus, qni Grammatices & Rhetorices studio multum operæ dedit, ut facile intelligitur ex longissima serie Operum ejus, quæ recensentur a LAERTIO in ejus vita, *lib.* 7. *segm.* 189 *& seq.* Atque ita paulatim ars excrevit in justum corpus seu systema; quod cujus opere ac diligentia consecutum sit maxime, in obscuro latet. Plura apud VOSSIUM, *l. c. p.* 12. & apud WOWERIUM *de Polym. cap.* 9. *&* 10.

§. VII. Nec mirum si tantopere Philosophi, & alii, hoc studium excoluerint, qui pollente rerum omnium effectore Deo illud non indignum putaverunt. Nam PLATO *in Minoë* ipsum scribit in Grammaticis a summo Jove institutum, imbutumque fuisse: quam ob causam Minos a Poëta principe, *Odys. lib.* 19. *vers.* 179. Διὸς μεγάλȣ ὀαριςὴς, hoc est, *Dei magni confabulator*, nominatur: ὄαροις enim significare *colloquia, sermones, &c.* ac proinde illum Regem Minoëm, justitiæ nomine commendatum, in schola Jovis multos annos posuisse, ad expoliendam orationem. Sed fabulas ut omittamus, Grammatica merito laudatur, ac quæ est clavis omnium disciplinarum; cum artes ac scientias docere nequeamus, nisi alii alios intelligamus, quod

ſermonis præſtat diſciplina. Unde optimo jure tantopere laudatur ab *Athalarico Rege*, in Epiſtola ad Senatum urbis Romæ, qua Profeſſoribus liberalium artium de ſtipendiis providet & annonis, apud CASSIODORUM, *lib.* 9. *epiſt.* 21. *Nam*, inquit, *ſicut Muſicus conſonantibus choris efficit dulciſſimum melos, ita diſpoſitis congruenter accentibus metrum novit decantare Grammaticus. Eſt Grammatica magiſtra verborum, ornatrix humani generis, quæ per exercitationem pulcherrimæ lectionis Antiquorum nos cognoſcitur juvare conſiliis, &c.* Sic & ENNODIUS, *in* SIRMONDI *Oper. tom.* I. *p.* 1036. Grammaticam commendat, *quaſi nutricem cæterarum artium, quæ adoleſcentium mentes ſapore artificis & planæ locutionis illiciat, & ad Tullianum calorem ſcintillas præfigurati vaporis adducat.* JOH. SARESBERIENSIS *Metalog. lib.* I. *cap.* 13. eam hoc elogio merito ornat, quod ſit *origo omnium liberalium diſciplinarum: eadem quoque totius Philoſophiæ cunabulum, & (ut ita dixerim) totius lireratorii ſtudii altrix prima.* SENECA *Epiſt.* 95. *p. m.* 357. Grammaticos vocat *cuſtodes Latini ſermonis.* Et inprimis QUINCTILIANUS, *inſt. lib.* I. *cap.* 4. *p. m.* 39. *Quo minus*, inquit, *ſunt ferendi, qui hanc artem, ut tenuem ac jejunam, cavillantur: quæ niſi oratori futuro fundamenta fideliter jecerit, quidquid ſuperſtruxeris, corruet: neceſſaria pueris, jucunda ſenibus: dulcis ſecretorum comes: & quæ vel ſola omni ſtudiorum genere plus habet operis, quam oſtentationis, &c.* Neque vero exiſtimandum eſt, vile quoddam & abjectum eſſe artificium, quod in minutis & tenuiſſimis rebus explicandis verſetur. Aliud certe omnium temporum & nationum prudentes viri cenſuerunt. Sicut & ULPIANUS, *L.* I. *pr.* π. *de extr. cogn.* eam merito inter liberalia ſtudia enumerat: atque ab ISIDORO, *lib.* I. *cap.* 2. inter ſeptem liberalium artium diſciplinas primo loco recenſetur. Confer & SCIP. GENTILIS *Parerg. ad Pand. lib.* I. *cap.* I. *in* OTTONIS *Theſ. Jur. Rom. tom.* 4 *p.* 1274. Vulgo enim ab hac arte literæ atque ſyllabæ dependent; dependent orationis partes, cum proportione vel inæqualitate ſua; ortographia; pedes, metaplaſmi, tropi, ſchemata, notæ, diſtinctiones, vocis elatio, depreſſio, flexus, concitatio, mora. Atque etiam illa arte docemur, qui legendi, qui rejiciendi, qui cuique præponendi; quid in unoquoque probandum; quæ ſit in omnibus œconomia, quodve decorum. Confer DIONYSIUM HALICARN. *de admir. vi dicendi in Demoſth. cap.* 52. *in tom.* 2. *Op. p.* 316 *& ſeq. noviſſ. edit. Angl.* Sunt utique partes hæ Grammaticorum,

rum, ut omne scriptorum genus excutiant atque enarrent, a malis bonos dignoscerent, & nihil prorsus intactum relinquerent. Sic noster ERASMUS *de vita &c. Origenis*, *tom.* 8. *Oper. p.* 426. *noviss. edit.* Grammatices munus atque negotium ita describit: *Rursus si quis dicat, Grammatices professionem nihil habere memorabile, cum hodie Scholasticorum collegia pueris abundent Grammaticam profitentibus: sciat olim senile & arduum fuisse negotium. Nec enim a Doctore tantum exspectabatur declinationum, conjugationum, & constructionum ratio, sed præter sermonis elegantiam, præter plurimorum auctorum lectionem, præter antiquitatis, & omnium Historiarum peritiam, requirebatur Poëtices, Rhetorices, Dialectices, Arithmetices, & Cosmographiæ, Musicesque cognitio, &c. Minore negotio tres juris Doctores absolveris, quam unum Grammaticum, qualis fuit* ARISTARCHUS *apud Græcos, apud Latinos* SERVIUS *ac* DONATUS. Confer VOSSIUM *de Philologia, cap.* 3. *p.* 22. Tantum auctoritatis olim certe apud antiquos hic ordo habuit, ut censores essent soli Grammatici. Confer FUNCCIUM *de Vir. ætate Lat. ling. cap.* 5. *p.* 301 *& seq.* Romani hujus ordinis Censores postea quamplurimos habuerunt, quos initio Litteratos & Grammaticos vocarunt, dato iis negotio exemplaria vetera contrahendi, emendandi, distinguendi, censoria quadam virgula adnotandi, libros falso inscriptos & spurios familia submovendi, auctores ipsos in ordinem redigendi, aut numero prorsus eximendi, &c. Ex eo censu fuerunt *M. Varro*, *Nigidius Figulus*, *Sisenna Nicias*, *Nicanor*, *Valerius Probus*, *Asconius*, *Gellius*, alii, (quorum longiorem catalogum texit ex *Suetonio* WALCHIUS *in Hist. crit. Lat. ling., cap.* 4. *p.* 249.) qui multum lucis atque splendoris classicis Auctoribus attulerunt. Vide DILHERRI *Disput. Acad. tom.* 1. *p.* 519. §. 16. Quinimo facile foret, hic enumerare quoque bene multos, qui cum essent præstabili judicio, & Reipublicæ honoribus florentes, doctissimis suis monimentis hanc doctrinam illustraverunt. Videmus enim *Apollodorum* Grammaticum apud Amphictyones summos honores gerentem; *C. Cæsarem* de Analogia pulcherrimos libros scribentem; *Messalam* Oratorem de litera S. volumen divulgantem; *M. Terentium Varronem*, omnium Italorum doctissimum, de lingua Latina commentantem; *M. Tullium Ciceronem* Grammaticorum scholas frequentantem; *C. Plinium* de dubio sermone libros edentem; aliosque plures, qui e Grammaticorum gymnasiis ad Rempu-

bli-

blicam deducti, bene labores & honeſte collocatos ſuos putaverunt, ſi ad commodum ſtudiorum, & totius lumen humanitatis, neceſſariam hanc doctrinam exponerent.

§. VIII. Nihilominus vero, teſte SUETONIO *de illuſtr. Grammat.* ſtatim ab initio, Grammatica olim Romæ ne in uſu quidem, nedum in honore ullo erat: rudi ſcilicet ac bellicoſa etiam tum civitate, nec dum magno opere liberalibus diſciplinis vacante. Initium ejus mediocre exſtitit: ſiquidem antiquiſſimi doctorum, qui iidem & poëtæ & oratores ſemigræci erant, nihil amplius quam Græca interpretabantur: ac ſi quid Latine ipſi compoſuiſſent, prælegebant. Primum cœpit ea diſciplina ſub auſpiciis *Livii Andronici* atque *Ennii* poëtarum: ac paulo poſt *Crates Mallotes*, a patria *Mallos* urbe Ciciliæ dictus, Grammaticæ ſtudium primus in Urbem intulit: qui quum in regione Palatii, prolapſus in cloacæ foramen, crus fregiſſet, ut SUETONIUS refert, hinc occaſionem arripuit CASP. SCIOPPIUS *in præfat. Gram. Philoſ.* artem eam, qualis ab illo tempore multis ſeculis Romæ & alibi obtinuit, *Cloacinam* vocandi: *Hæc ergo ut legi*, inquit, *minime jam mirandum mihi viſum eſt, tanti flagitii erroribus inquinatam eſſe veterem Grammaticam, quæ ex* CLOACÆ FORAMINE *una cum claudo magiſtro emerſerit. Neque vero admirabile duxi ne illud quidem,* CLOACINAM *iſtam Grammaticam inde ab eo, quo Romæ primum exorta eſt, tempore ad hanc usque diem inconcuſſam perſtitiſſe:* quare etiam per totam tractationem eam *Cloacinam* appellat. Feſtive quidem dictum, ſed quo *Crateti* haud exigua injuria fit. Non enim *Cloacæ*, quæ perdidit Grammaticum propemodum, ſed Græciæ vel Aſiæ, unde venit *Crates*, Grammaticam Romani debent. Et quæ inepte poſtea facta ſunt, non arti, quæ in ſe conſiderata valde laudabilis & bona, ſed male ſanis ſtultisve hominibus, aliis Grammaticorum nomine imponentibus, tribuenda veniunt: in quos apte convenit illud ATHENÆI, *lib.* 15. *p. m.* 666. *Non abſurde quidam ex amicis dixit, exceptis Medicis nihil eſſe Grammaticis ſtultius.* Ejusmodi vel potius Grammatiſtæ apud CLEM. ALEXANDR. *lib.* 1. *Stromat. p. m.* 279. λεξειδίων θηράτορες, *dictiuncularum venatores*, vel *vocularum aucupes* dicuntur: & a GREG. NAZIANZENO, *Orat.* 18. θηρευταὶ τῶν συλλαβῶν, *captatores ſyllabarum:* qui nil niſi vile, deſpicatum & minutum docent, quodque ingenuæ mentis vix operam ullam aut induſtriam deſideret.

§. IX.


§. IX. Verum quidem eſt, omnes fere Grammaticos olim Romæ ſervos fuiſſe, poſtea a dominis ſuis manumiſſos, quorum nomina etiam ſolebant adſumere. Sed ubi ars hæc majora incrementa cœpit, ſibique gratiam patronorum conciliavit, Grammaticis quoque magnus honor attributus fuit. *Poſt hoc*, inquit SUETONIUS *l. c. cap.* 3. *magis ac magis gratia & cura artis increvit, ut ne clariſſimi quidem viri abſtinuerint, quo minus & ipſi aliquid de ea ſcriberent, &c. Pretia Grammaticorum tanta, mercedesque tam magnæ, ut conſtet Lutatium Daphnidem, quem Lenæus Meliſſus, per cavillationem nominis,* Πανὸς ἄγημα (quod inſigniter ſtolidum ac ſtupidum ſignificabat) *dicit, ducentis millibus nummûm Quinto Catulo emptum, ac brevi manumiſſum.* Ubi igitur hi homines inclaruerunt, Grammatica non ſolum atque Eloquentia ab iis tractabantur in ſcholis; verum & munus illorum plerumque fuit, ut vel Bibliothecis ordinandis, vel Principis nobiliorumque liberis erudiendis præeſſent. Vide WALCHII *Hiſt. crit. Lat. ling. cap.* 4. §. 9. & PITISCI *Lex. Ant. Rom. tom.* I. *ad voc. Grammatici.* Quod ad reliqua veterum Grammaticorum momenta attinet, ea hujus loci non ſunt, nec de illis adeo ſolliciti ſumus, quum iſta non ſolum SUETONIUS, ejusdemque interpretes; ſed WOWERIUS quoque, VOSSIUS, & alii copioſe explicarunt.

§. X. Itaque nihil aliud reſtat, priusquam huic capiti finem imponamus, niſi illis quæ jam dicta ſunt de Grammaticæ artis præſtantia atque utilitate, pauca addere, ne Lector ſine corollario de convivio diſcederet. Sit ſane tenuioris rei hæc tractatio, ut quidam objiciunt, dummodo non diffiteantur, linguarum omnium fundamenta in Grammatica eſſe, ſine qua neque linguam perfecte addiſcere, aut commode eloqui queas, neque quæ per ipſam traduntur commode percipere, ut hoc uno collabente fundamento, reliquas diſciplinas ruere & interire neceſſe ſit. Omnes enim eruditi probe norunt, Grammaticam artem liberalium artium quaſi ſedem & fundamentum eſſe, qua edocemur apte & concinne loqui, ac perfecte intelligere omnem Græcum Latinumque ſermonem, atque illum accommodare ad ſcientias uberiores. Sic apud CASSIODORUM *Variar. lib.* 9. *cap.* 21. *Prima enim Grammaticorum ſchola eſt fundamentum pulcherrimum literarum, mater glorioſa facundiæ.* Quamobrem ipſa iſta fundamenta fideliter & accurate collocanda ſunt, ſuper quibus præclara aliquando doctrinæ exſtruerentur ædificia: atque

eo magis quidem, quum inscitia solius *Grammaticæ* omnes omnino artes, quinimo & Religionem ac Leges ingentibus tenebris obruat, & nisi quis Grammaticen recte didicerit, cæteras artes Ecclesiæ aut Reipublicæ necessarias tueri non queat. Confer BURCHARDUM *de ling. Lat. in Germania fatis*, *tom.* 1. *cap.* 5. *p.* 359. Id quod præteritis temporibus usu venisse videmus, ubi fatali nescio qua ignavia nec linguæ nec nitoris aut elegantiæ cura ulla fuit, omnibus ad unum ignorantiæ tabe pariter correptis. Quas tum ineptias in bonorum Scriptorum explicatione protulerint etiam illi, qui literarum fastigium tenebant, a nobis commemorari non est opus. Sane si te lectioni illorum dederis, in multis vix risum, in plurimis vix somnum tenebis: quas barbariei caligines nulla alia res quam linguarum earum ignorantia, quarum cognitio ex Grammaticorum scholis atque operibus haurienda venit, introduxit. Postea enim mutata temporum ratione, omnibus summo studio ad perfectissimam linguarum cognitionem incumbentibus, literarum gloria in illam magnitudinem excrevit, ut non defuerint absolutæ eruditionis viri, qui non tantum præstantissimis Græciæ & Latii luminibus opponi mererentur, verum etiam cum priscis de ingeniorum felicitate contenderent. Vide *Præfat. in Putschii Grammaticos.* Hujus enim doctrinæ beneficio innumeros habemus præstantissimorum hominum Commentarios, atque utilissima doctorum ingeniorum monumenta, quibus in hanc diem careremus, nisi *Grammatica* & litteras, & earum conjugationem, atque adeo scriptionis modum & decus excogitavisset. Neque vero exiguum usum in Republica obtinet verborum recta & accurata interpretatio; quod illi ipsi Jurisconsulti amplissimo *de Verborum significatione* titulo in Pandectis demonstrarunt, quanquam ipsimet præstantes Grammatices regulas ubique non æque accurate ac feliciter observavere.

§. XI. Ex hisce omnibus satis superque nunc liquet, Legislatorem inter disciplinarum Magistros, in quos tanta tamque egregia privilegia atque immunitates mercedesque conferre necesse habuit, nominatim & *Grammaticis* haud infimum locum merito dedisse. Cujus rei ratio abunde jam satis afferta, non opus est pluribus persequi. Oportet enim esse nos memores dicti CICERONIS *ad Brutum*, *cap. m.* 22. *In omnibus rebus videndum est, quatenus. Etsi enim suus cuique modus est, tamen magis offendit nimium, quam parum.* Manum itaque hîc de tabula.

C A-



CAPUT SEXTUM.

De Professoribus aliis literarum.

§. I.

Medicos & *Grammaticos* in Lege excipiunt *Professores alii Litterarum*, de quibus ordo proinde postulat, ut nunc agamus. Indicatur vero hac personarum descriptione, *Medicinam* & *Grammaticen* non solum, sed & cæteras Artes ac Disciplinas suos habuisse Magistros, seu Doctores vel Professores, qui Romæ & Constantinopoli, aliisque in locis vel civitatibus eas profitebantur, atque iis adolescentes aliosque instituebant. Quando igitur Legislator hos *Professores alios litterarum* tertio loco nominat, manifestum est hoc ab eo factum, ut discerneret illos a *Medicinæ*, inprimis vero a *Grammatices* Doctoribus, qui mox commemorati sunt. Atque adeo nobis nunc venit paulo accuratius inquirendum, quinam hi fuerint *alii litterarum Professores*.

§. II. Et primo quidem de nomine seu titulo *Professorum* aliquid dicendum. *Professor* dicitur ille, qui aliquid profitetur: id est, qui liberales artes publice docet, qui artes illas se scire, & posse publice tradere fateatur, juxta VALLAM *in Raudensem*. Confer ROB. STEPHANI *Thes. ling. Lat. tom.* 3. *p.* 573. *ad h. v. Profiteri* enim inter alia usurpatur de munere scholastico, pro publice legere vel docere. Sic *Profiteri artem*, *disciplinam*, *jus*, *Philosophiam*, &c. cætera, sæpius apud optimos linguæ Latinæ auctores occurrit. Hinc *Profiteri* ἁπλῶς est docere literas apud PAULUM, *L.* 9. *pr. ff. de vac. & exc. mun.* & apud PLINIUM *lib.* 4. *ep.* 11. *Audistine Valerium Licinianum in Sicilia profiteri?* hoc est, publice docere, seu Professoris munere fungi, ut liquet ex sequentibus. Et *Professio* pro functione alicujus muneris aut artis. Sic CICERO, *lib.* 1. *de Orat. cap.* 6. *Quanquam vis oratoris, professioque ipsa bene dicendi, hoc suscipere ac polliceri videtur.* Et *L.* 6. *Cod. de muner. patrim.* Impp. Dioclet. & Maxim. ad quendam Hypocritam, qui pallio & barba tenus Philosophiam profitebatur: *Professio & desi-*

 de-

derium tuum inter ſe diſcrepant : nam cum Philoſophum te eſſe proponas, vinceris avaritia & rapacitate. Confer *L. unic. C. de Prof. qui in urbe Conſtant.* Et apud Suetonium *de illuſtr. Gram. cap.* 8. *deſidioſior in Profeſſione Grammaticæ habebatur.* Inde *Profeſſor* in Gloſſar. Græc. eſt διδάσκαλος, & *Profeſſores* dicuntur σοφισταὶ, σχολάρχαι, καθηγηταί. *Profeſſorum* appellatio recentior quidem eſt, veruntamen melioris notæ. Uſurpatur enim a claſſicis ſcriptoribus, qui elegantiam ac munditiam ſermonis maximopere curant. Sic dictus *Val. Licinianus* apud Plinium, *l. cit.* in Præfatione graviter dolet: *Quos tibi fortuna ludos facis? Facis enim ex Profeſſoribus Senatores, ex Senatoribus Profeſſores.* Valerius Maximus, *lib.* 8. *cap.* 12. *Sapientiſſimi igitur artis ſuæ Profeſſores ſunt, a quibus & propria ſtudia verecunde, & aliena callide æſtimantur.* Quinctilianus, *inſt. lib.* 2. *cap.* 11. *Rideant etiam diligentiam noſtram, exemplo magni quoque nominis Profeſſorum.* & *lib.* 1. *cap.* 9. *Quod opus, etiam conſummatis Profeſſoribus difficile.* Suetonius *de illuſtr. Gram. cap.* 9. *Librum &c. edidit, continentem querelas de injuriis, quas Profeſſores negligenter ab ambitione parentum adciperent.* & *in Tib. cap.* 11. *Quum circa ſcholas & auditoria Profeſſorum aſſiduus eſſet.* & *de clar. Rhet. cap.* 1. *Magna etiam Profeſſorum ac doctorum profluxit copia.* Sic & apud Ausonium libellus ſub hoc tit. *Commemoratio Profeſſorum Burdigalenſium:* quanquam putat Grævius *in not.* non Auſonium eum libello præfixiſſe, ſed ſumtum eſſe ex præfatione *Epitaphiorum Heroum*, quem vide. Inde adjectivum *Profeſſorius* apud Tacitum *annal. lib.* 13. *cap.* 14. ubi Agippina Senecæ exprobrat *Profeſſoriam linguam*, hoc eſt, præceptoriam & pædagogicam, licet tamen eloquentiam maxime profiteretur. Confer Gronovii *not. ad h. l.* In libris juris ſæpius fit *Profeſſorum* mentio. Simpliciter *Profeſſores* dicuntur, *L.* 11 & 16. *Cod. Theod. de Med. & Prof.* & *L.* 1. *ejusd. Cod. de Profeſſor. qui in urbe Conſtant.* nec non *L.* 11. *ſeu ult. Cod. de Prof. & Med.* Plenius vero in noſtra *L. Profeſſores literarum:* ut & *L.* 1 & 3. *Cod. Theod. eod. Artium* etiam *liberalium Profeſſores*, *L.* 17. *eod.* & *L.* 10. §. 2. *D. de vac. & exc. mun. Liberalium ſtudiorum Profeſſores*, *L.* 4. *C. de Prof. & Med.* Qui & *Magiſtri* dicuntur, *L.* 10 & 11. *Cod. Th. de Med. & Prof. Magiſtri litterarum*, *L.* 18. *eod.* & *L.* 8. *Cod. de metatis. Magiſtri ſtudiorum*, *L.* 5. *Cod. Theod. de Med. & Prof.* & *L.* 7.

Cod.

Cod. eod. Doctores etiam, *ibidem:* nec non *Præceptores*, *L.* 11. *Cod. Theod. de Med. & Prof.* & *L.* 1. *pr.* ת. *de extr. cogn.*

§. III. Verum accuratius indagandum, quinam hi *Professores alii litterarum* proprie fuerint, quos Lex distinguit a *Medicinæ* ac *Grammatices* Doctoribus. Varia erant apud Romanos *Professorum* genera. Unde SPARTIANUS, *in Adriano*, *cap.* 15. loquitur de *Professoribus omnium artium.* (1) *L.* 8. *C. de metat.* memorantur *Picturæ Professores:* de quibus & PLUTARCHUS, *in Paulo Æmilio*, *p. m.* 258. ubi narrat, eum filiis suis non solum *Grammaticos*, *& Sophistas*, *& Rhetores*, *sed Plastes quoque*, *seu Sculptores*, atque *Pictores* magistros addidisse. Plura vide apud JUNIUM *de Pict. veter. lib.* 2. *cap.* 2 *&* 3. Horum *Picturæ Professorum* diserte etiam mentio fit *L.* 4. *C. Theod. de excusat. artific.* ubi Imp. Valentinianus illis novem tribuit Immunitates, e quibus unicam tantum (scilicet a metati onere immunitatem) in *Cod. suum* transfudit Tribonianus: puta dictam *L.* 8. *C. de metat.* cæteris omissis. Confer GOTHOFREDUM, *comment. in L. c. C. Th.* & VOSSIUM *de quatuor art. popul. cap.* 5. §. 7. (2) occurrunt & *Mechanicæ Professores* apud SYMMACHUM, *lib.* 10. *Epist.* 38. Confer GOTHOFREDUM, *in not. ad d. L.* 4. De *Mechanices* arte omnium facile antiquissima fuse agit VOSSIUS *de scient. Mathemat. cap.* 45. *&c.* Plura etiam apud HEILBRONNERUM *in Hist. Matheseos*, ubi inspice *Indicem* ad voc. *Mechanica & Mechanici libri.* Hujus artis *Professores* seu Doctores immunitatibus quoque gavisse, liquet ex *L.* 3. *C. Theod. de excus. art.* & *L.* 2. *C. eodem* cum additis, *& suscipiant docendos*, *qui docere sufficiunt*, in utroque *Cod.* (3) Erant quoque *Astrologiæ Professores*, qui astrorum scientiam profitebantur, a CICERONE *lib.* 2. *de divin cap.* 44. *Interpretes cœli* dicti. Sic COLUMELLA *de re Rustica*, *lib.* 1. *cap.* 1. §. 4. *edit. Gesneri*, *Hipparchum* vocat *Astrologiæ Professorem.* *Astrologiæ* autem, quæ exsequitur solis & lunæ cursus, vel stellarum, certasque temporum stationes, ISIDOR. *Orig. lib.* 3. *cap.* 26. tres erant sectæ, Chaldæa, Ægyptia, Græca: quibus refert PLINIUS, *lib.* 18. *cap.* 25. Jul. Cæsarem apud Romanos quartam addidisse, *annos ad solis cursum dirigens singulos.* (4) *Geometriæ* etiam *Professores* fuisse, constat ex verbis QUINCTILIANI, *inst. lib.* 12. *cap.* 11. *Geometræ*, *Grammatici*, *cæterarumque artium Professores.* Ubi alii legunt, *Geometriæ*, *Grammatices*, *cæterarumque artium Professores.* Et ex *L.* 1. *pr.*

ff. de extr. cogn. ubi hæc verba : *Præses provinciæ de mercedibus jus dicere solet: sed Præceptoribus tantum studiorum liberalium. Liberalia autem studia accipimus, quæ Græci* ἐλευθερίαν *appellant: Rhetores continebuntur, Grammatici, Geometræ.* Qui hic *in pr. Præceptores*, mox §. 1. *Professores* dicuntur : & gaudebant quoque immunitatibus, *L.* 3. *C. Th. de excus. artif.* & *L.* 2. *C. eodem.* quo & docendo discendoque studium majus impenderent : & quia artes illæ sine otio tractari non possent, *L.* 2. *C. Th. eod.* & *L.* 1. *C. eod.* *Geometria* enim, quæ ISIDORO, *lib.* 2. *cap.* 24. *disciplina est magnitudinis immobiliumque formarum*, quasi metropolis omnium Mathematicarum scientiarum vocatur a *Philone*, apud VOSSIUM *de scient. Mathem. cap.* 17. *p.* 73. (5) Nec vero est dubitandum, quin & æque *Musicæ*, *Architecturæ*, aliarumque artium *Professores* fuerint olim ; licet loca, in quibus diserte ita vocentur, nobis quidem non occurrant. Res tamen per se loquitur, easdem Artes apud Græcos & Romanos absque Magistris seu Doctoribus tantopere nequaquam floruisse. De *Musica*, (seu scientia, quæ modum canendi demonstrat, PLIN. *lib.* 7. *cap.* 56.) satis constat ex *antiquæ Musicæ Auctoribus*, quos cum eruditis notis in lucem protulit MEIBOMIUS. Sic CICERO, *lib.* 3. *de invent. cap.* 1. inter Magistros forensium atque popularium artium & *Musicos* recenset : *Itaque & Dialectici*, inquit, *& Physici verbis utuntur iis, quæ ipsi Græciæ nota sunt. Geometræ vero, Musici, Grammatici, etiam more quodam loquuntur suo. Item ipsæ Rhetorum artes, &c.* Et QUINCTILIANUS *instit. lib.* 1. *cap.* 10. *p.* 5. *edit. Burm. Transeamus igitur id quoque, quod Grammatice quondam ac Musice junctæ fuerunt. Siquidem Architas atque Aristoxenus etiam subjectam Grammaticen Musicæ putaverunt, & eosdem utriusque rei Præceptores fuisse, cum Sophron ostendit, &c.* Inde & *Musici* apud Græcos proprie *Sophistæ* vocati sunt, ut ostendit CRESOLLIUS *in theat. Rhet. lib.* 1. *cap.* 1. *p.* 4. (6) Nec minus & *Architecturam* suos habuisse Magistros, vel ex unius Doctoris VITRUVII libris *de Architectura* abunde liquet. Hi erant structorum principes, qui ædificiorum rationem comminisci & instruere didicerunt, ac graphice eas formas describere. Apud GELLIUM, *lib.* 1. *cap.* 13. memoratur *Magister Architecton.* Latini enim scribunt *Architecton* & *Architectus.* Plura apud SALMASIUM *in Plin. exercit. tom.* 1. *p.* 476. Hi *Architecti*, vel Architecturæ *Magistri* semper habiti fuere inter

Arti-

Artifices, quibus aliquam vocationem munerum graviorum conditio tribuit: ut *L. ult. ff. de jure immun.* Et *L.* 1. *C. Theod. de excuſ. artif.* de ſolis *Architectis* agit, ſeu de *Architectonicæ diſcipulorum, eorumque parentum immunitate, & docentium ſolario.* Confer *ad h. l.* GOTHOFREDI *comment. L.* I. *C. eod. in notitia Architecti* inter Artifices primum tenent locum. Nominantur etiam poſt Doctores *Mechanicos* & *Geometras*, *L.* 2. *C. eod.* & *L.* 3. *C. Th. eod.*

§. IV. Verum enim vero omnes illi, quos recenſuimus, *Profeſſores* in noſtra Lege non reſpiciuntur; ſiquidem qui proprie *Profeſſores Artium* forenſium ſeu popularium fuere atque verè diſtincti a *Profeſſoribus Litterarum*, qui liberalibus ſtudiis atque humanioribus artibus alios inſtituebant. *Literas* enim uſurpari pro Scientiis & Diſciplinis, quæ literarum monumentis continentur, omnibus notum eſt. Ad *Profeſſores Litterarum* quod attinet, qui & *Eloquentiæ Profeſſores* dicuntur apud SUETONUM *de clar. Rhet. cap.* 5. hi expreſſe *alii* vocantur in Lege, diſcriminis ergo, ut *Medicis* atque *Grammaticis* ſecernantur, qui primò appellati ſunt. *Medici* enim ac *Grammatici* ſuos quoque habebant *Profeſſores* vel Doctores. Licet autem *Medici*, *L.* I. §. I. *π. de extr. cogn.* diſerte quidem *Profeſſoribus* diſtinguantur, cum illi ſalutis hominum, hi ſtudiorum curam agant; tamen nominatim *ſalutaris ac neceſſariæ artis Profeſſorum* elogio deſignantur, *L.* 14. *C. Th. de Med. & Prof.* Nec non apud SYMMACHUM, *lib.* 3. *ep.* 37. & *lib.* 9. *epiſt.* 41. & *lib.* 10. *ep.* 40. aperte *Medicinæ Profeſſores* vocantur. Confer GOTHOFREDI *Notas in L.* 4. *C. Theod. de excuſ. artif.* Atque ita dicti non ſolum, quia Medicinæ fungebantur munere, ut ait OVIDIUS *de remed. amor. V.* 795. ſed quia Doctores quoque atque Præceptores ſalutaris hujus artis erant, eaque alios erudiebant. Conſtat enim, nullam artem ſolis literis ſine Interprete percipi poſſe, ſed aliquam exercitationem ac Doctorem deſiderare. Vide CICERONIS *Epiſt. lib.* 7. *ep.* 19. Inde & *Grammatice* ſuis gaudebat *Profeſſoribus*, qui ſtudium literarum docebant, quique ſub hoc nomine diſerte commemorantur, *L.* 1. *C. Theod. de Profeſſoribus, qui in urbe Conſtant. &c.* ubi de *Grammaticis Græcis* & *Latinis* ita conſtituitur: *Si laudabilem in ſe probis moribus vitam eſſe monſtraverint, ſi docendi peritiam facundiamque dicendi, interpretandi ſubtilitatem, copiamque diſſerendi ſe habere patefecerint, & Coetu Ampliſſimo judicante digni fuerint*

æſti-

æstimati, *qui in memorato auditorio Professorum fungantur officio*, *&c.* Confer *L. un. C. eodem.* Atque tales *Grammatices* Doctores vel Professores in auditoriis Romæ & Constant. decem numero instituti erant, *L. un. C. de stud. lib. urb. Rom. & Consf.* Nomine *Professorum* etiam appellantur *L.* 11. *&* 16. *C. Theod. de Med. & Prof.* & *L. ult. C. eod.* Sic & SUETONIUS *de illust. Gram. cap.* 9. *Reliquit filium Orbilium*, *& ipsum Grammaticum Professorem.* Inde Grammatices *Professio* apud QUINCTILIAN. *lib.* I. *cap.* 4. *ab initio.* Verum ab his *Medicis* & *Grammaticis Professoribus*, uti diximus, nostri *Professores Literarum* diversi sunt, utpote qui hic *Professores alii* vocantur; hoc est, alii ordinis vel institutionis; quique scientias literarias & oratorias, sive eloquentiam docebant, ut mox pluribus.

§. V. Distinguendi itaque & hi *Professores Literarum* a Philosophis, seu *Philosophiæ Professoribus.* Eorum mentio fit *L.* 16. *C. Th. de Med. & Prof.* ubi ab initio *Philosophiæ Præceptores*, in fine vero una cum Grammaticis & Oratoribus *Professorum* nomine nuncupantur. Confer *L. ult. C. eod.* Aliquoties apud CELSUM vocantur *Professores sapientiæ.* Ut *in præfat. lib.* I. *de Medicina*, *p. m.* 2. *Ideoque multos ex sapientiæ Professoribus peritos ejus fuisse accepimus: clarissimos vero ex his Pythagoram*, *Empedoclem*, *& Democritum.* Confer GESNERI *Lexicon rei Rusticæ*, *ad voc. Profess.* Et SUETONIUS *in Tiberio*, *cap.* 14. narrat de *Thrasyllo Mathematico* & Philosopho, *quem ut sapientiæ Professorem contubernio admoverat* Tiberius. Confer CASAUBON. *not. ad h. l.* Apud TACITUM *sapientiæ Doctores* dicuntur, *lib.* 14. *Annal. cap.* 16. ubi de Nerone refert, quod *etiam sapientiæ Doctoribus tempus impartiebat post epulas.* Quibus neutiquam obstat, quod ULPIANUS, *L.* I. §. 4. *π. de extr. cogn.* numero *Professorum* nominatim *Philosophos* excludat; cum ibi adeo non agit de nomine aut officio, sed de numero tantum *Professorum*, vel *Præceptorum studiorum liberalium*, quibus Præses provinciæ de Mercedibus jus dicere solet, his *Philosophos* nolit annumerari, *non quia non religiosa res est* (*Philosophia*, scilicet, omnium mater artium, donum & inventum Deorum, CICERO *lib.* I. *Tuscul. cap.* 26.) *sed quia hoc primum profiteri eos oportet*, *mercenariam operam spernere.* Nec aliter PAPINIANUS, *L.* 8. §. 4. *π. de vac. & excus. mun. Etenim vere Philosophantes pecuniam contemnunt*, *cujus retinendæ cupidine fictam adseverationem detegunt.* Et MODESTINUS, *L.* 6. §. 7. *π. de excusat.*

Phi-

Philosophorum autem non constitutus est numerus, quia rari sunt qui philosophantur. Existimo autem, quoniam qui divitiis superabundant, voluntarie tribuent pecuniam in utilitates patriæ. Si autem proprie loquantur de substantia, (vel ut græca εἰ δὲ ἀκριβολογοῖντο περὶ τῆς οὐσίας potius interpretatur MENAGIUS *in observat. ad Laertium, lib. 6. segm.* 88. *Si autem de pecunia nimium sint solliciti*,) *inde jam manifesti fient non philosophantes*. Confer *L. 6. C. de muner.* & *L. 8. C. de Prof. & Med. Est enim intolerabilis res*, inquit SENECA *lib. 2. de Benef. cap. 17. poscere nummos, & contemnere. Indixisti pecuniæ odium, hoc professus es: hanc personam induisti, agenda est. Iniquissimum est, te pecuniam sub gloria egestatis acquirere.* Et tamen idem *de vita beata, cap. 23. Desine ergo Philosophis pecunia interdicere: nemo sapientiam paupertate damnavit. Habebit Philosophus amplas opes: sed nulli detractas, nec alieno sanguine cruentas, sine cujuspiam injuria partas, sine sordidis quæstibus, &c.* Longe vero secus inter veteres judicarunt celeberrimi illi Philosophi, qui secundum PHÆDRI enunciatum, *lib.* 4. *fab.* 78. *V.* 1.

Homo doctus in se semper divitias habet,

ut liberius philosopharentur, opes vel civibus diviserunt, vel in mare abjecerunt, re ipsa ostendentes, *bonæ mentis sororem esse Paupertatem*; seu ut PETRONIUS ait, *cap.* 83. *Amor ingenii neminem unquam divitem fecit.* Ad ipsos *sapientiæ Professores* ut revertamur, hi cum filiis & conjugibus iisdem immunitatibus quoque fruebantur, quibus cæteri *Professores* artium atque literarum. Etenim *L.* 11. *C. de Prof. & Med. Grammaticis*, & *Oratoribus* adjunguntur & *Philosophiæ Præceptores*, nec non etiam *Medici*, qui concessis immunitatibus gaudebant: prout & *L. ult.* §. *ult. D. de mun. & honor.* alibique in jure observatur.

§. VI. Atque adeo restat, nostros *Professores alios Literarum* proprie fuisse *Oratores*, *Rhetores*, ac *Sophistas*, qui ita nuncupati, ut a *Grammaticis* discernerentur. Hi enim quoque *Professores* vel *Doctores Litterarum* dicebantur, *L.* 3. *C. Th. de Med. & Prof.* & ut auctor nobis est QUINCTILIANUS, *inst. lib.* 2. *cap.* 1. *Grammatici* se intra suos fines nequaquam continuerunt, sed partes quasdam *Rhetorices* quoque occupaverunt: *Nam & illi*, ait, *declamare modo, & scientiam declamandi ac facultatem tradere, officii sui ducunt*: Sed quibus nunc non immoramur. Per dictos autem *Professores alios Litterarum* non nisi *Oratores*

& *Rhetores*, *&c.* esse intelligendos, facili modo liquet non solum ex ipsissimo indice *Literarum*; verum ex eo etiam, quod immediate, si fas sit ita loqui, *Grammaticis* conjungantur, ut in libris juris sæpius solet fieri. Sic §. 15. *Inst. de excus. tutor.* memorantur *Grammatici*, *Rhetores* & *Medici*. *L. 6.* §. 1. *de excusat. Grammatici*, *Sophistæ*, *Rhetores*, *&c.* *L. ult.* §. *ult.* *π. de mun. & honor. Grammatici & Oratores* ut & *L. ult. C. de Prof. & Med.* & *L. 16. C. Th. de Med. & Prof.* Aliquoties *Oratores* & *Rhetores Grammaticis* præpronuntur. Sic *L. unic. C. de stud. liber. urb. Romæ. Oratores*, *Grammatici*, *Sophistæ*. *L. 1. pr. ff. de extr. cogn. Rhetores*, *Grammatici*, *Geometræ*. *L. 11. C. Th. de Med. & Prof. Rhetores & Grammatici.* & *L. 15. eod. Rhetores atque Grammatici.* Ex quibus omnibus clare liquet, qui in nostra L. *Professores alii Literarum* insigniuntur, eosdem illos esse, qui ubique fere recte atque ordine *Grammaticis* adjunguntur, aut iis præponuntur, *Oratores* videlicet, *Rhetores*, atque *Sophistas*.

§. VII. Primum itaque considerandi veniunt *Rhetores*, sic dicti ab antiquo verbo ῥέω, & per contractationem ῥῶ, quod in Futuro facit ῥήσω, in Aoristo primo ἐῤῥήθην, atque idem significat quod *eloquor*. Unde ῥῆμα, *dictum*, ῥῆσις, *elocutio*, & ῥήτωρ, *eloquens*. Sic CICERO, *Orat. cap.* 19. *Græce ab eloquendo* ῥήτωρ, *& Latine eloquens dictus est.* Vocatur etiam ῥητὴρ, gen. ῆρος. Unde Ῥητορεύω, *orationem habeo*, *pronuncio*, *&c.* & Ῥητορεία, *oratio*. nec non Ῥητορικὴ, scil. τέχνη, *ars Rhetorica.* Confer ALCUINUM *de arte Rhetor. inter* PITHOEI *Rhetores antiq. p.* 360. Atque proinde *Rhetores*, vel *Doctores Rhetorici*, ut appellantur a CICERONE, *lib.* 1. *de Orat. cap.* 19. proprie sunt Eloquentiæ Præceptores, seu qui artem Oratoriam profitentur, & dicendi præcepta tradunt. *Rhetorica* enim est scientia, quæ omnem sermonem recte & ad persuadendum apte instituit, prout definitur ab *Anonymo Sophista*, inter *Rhetores selectos a* TH. GALE *edit. p.* 199. & apud ISIDORUM, *lib.* 2. *cap.* 1. est bene dicendi scientia, in civilibus quæstionibus, ad persuadendum justa & bona in rerum personarumque negotio, & causa. Etenim esse aliquem architectonicum *Rhetoris* sive *Oratoris* finem, quemadmodum necessario cunctis in artibus aliquis finis est, quo sublato & ars ipsa tollitur, nemo sanus ambigit. ARISTOTELI verò *Rhetorices* finis est Persuasio. Confer *M.* VICTORINI *exposit. in* 1. *Rhetor. Ciceronis*, inter PITHOEI *Rhe-*

tores, *p.* 98. & CASSIODORUM *in Rhetor. compendio*, *p. m.* 528. *Nec dubium mihi*, ait VOSSIUS, *Rhetoricorum lib.* 1. *cap.* 1. *p.* 2. *quin ſubſcripturi ſint huic ſententiæ*, *quotquot eam examinabunt ad Logicæ ſtateræ liberamentum. Illud quippe finis ultimus eſt, propter quod omnia fiunt*, *&c. Atqui Orator omnia agit*, *ut perſuadeat. Perſuadere igitur eſt architectonicus Oratoris finis.* Confer HEINECCII *fund. ſtili cult. par.* 2. *cap.* 2. §. 1. *in notis.* Nec tamen exiſtimandum eſt, ex ARISTOTELIS ſententia, ſimpliciter *Rhetoris* vel *Oratoris* finem eſſe perſuadere, ſed, ut recte obſervat ISIDORUS, *d. l. perſuadere juſta & bona*; quia ſibi Orator tantummodo proponere debet juſta & utilia; nec eodem modo oportet eum affectum eſſe ad perſuadendum ſive juſta, ſive injuſta, ſi facultatem ipſam attendamus. Etenim injuſtas agere cauſas non eſt boni Oratoris; nec honeſtum eſt, quod temere effutiverit Titus iſte Caſtricius apud GELLIUM, *lib.* 1. *cap.* 6. *Aliter Cenſor loqui debet*, *aliter Rhetor. Rhetori conceſſum eſt ſententiis uti falſis*, *audacibus*, *ſubdolis*, *captioſis*, *ſi modo veriſimiles ſunt*, *& poſſunt ad movendos hominum animos qualicumque aſtu irrepere. Præterea*, inquit GELLIUS, *turpe eſſe ait Rhetori*, *ſi quid in mala cauſa deſtitutum atque impugnatum relinquat.* Sed quod potius ſtudium mentiendi, quam orandi, meretur vocari. Oratorem enim bonum virum ſtatuunt eloquentiſſimi oratores CICERO, QUINCTILIANUS, aliique. Addit autem ISIDORUS, *Rhetoricam* dictam eſſe ἀπὸ τοῦ ῥητορίζειν, id eſt, a copia locutionis. ῥῆσις enim apud Græcos *locutio*. Atque adeo *Rhetores* diverſi ſunt a *Grammaticis*, quorum officium proprie verſatur circa artem ſeu ſcientiam recte loquendi & ſcribendi: Rhetorum vero circa ipſam Eloquentiam. Nec de omnibus dici fas eſt, quod ajebat Capito Attejus Juriſconſultus de Attejo Philologo, apud SUETON. *de ill. Gram. cap.* 10. *eum inter Grammaticos Rhetorem*, *inter Rhetores Grammaticum fuiſſe.* Utrumque officium ad Eloquentiam ſpectat quidem; verum *Grammatici* tractant potius quæ ad ejus *Theoriam* vel præparationem; *Rhetores*, quæ ad *Praxin*, ſeu vim & uſum pertinent. *Conjuncta eſt autem*, inquit ISIDORUS, *ibid. Grammaticæ arti Rhetorica: in Grammatica enim ſcientiam recte loquendi diſcimus: in Rhetorica verò percipimus*, *qualiter ea quæ didicimus proferamus.* Sic *Grammatices* ars inter diſciplinas liberalium artium ab *eodem*, *lib.* 1. *cap.* 2. *Rhetoricæ* rectè præponitur, utpote quaſi via ad eam ducens, quæ absque *Grammatica* neuti-

tiquam consistit. Itaque orandi & declamandi studium proprie non est *Grammatici*, sed *Rhetoris*, ut distincte observat non adeo, quam quidem vindicat QUINCTILIANUS, *lib.* 2. *cap.* I. Nec *inficiabor*, inquit, *ex iis aliquem, qui* GRAMMATICEN *profitentur, eousque scientiæ progredi posse, ut ad hæc quoque tradenda sufficiat*: (scil. quæ sunt *Rhetorices*) *sed cum id aget*, RHETORIS *officio fungetur, non suo.* Et mox: *Nam si* GRAMMATICES *munus usque ad* SUASORIAS (*quæ sunt apud* RHETOREM *materiæ inter rudimenta dicendi*) *prorogatur tardius Rhetore opus est.*

§. VIII. Ex dictis liquidius judicari potest, si nominis etymon atque usum etiam attendimus, inter *Rhetores* & *Oratores* olim apud Græcos nullum penè fuisse discrimen. Ῥήτωρ enim SUIDÆ est *Orator*. Ῥήτωρ, ait, ex *Kusteriana Æm. Porti* versione, *olim dicebatur, qui populo aliquid suadebat, & in concione verba faciebat, sive dicendi peritus esset, sive eloquentia careret: sive item animo sincero & sine dolo aliquid suaderet, sive privati commodi causa.* In PHILOXENI *Glossar.* Ῥήτωρ, *Orator.* Idem apud ISIDOR. *lib.* 2. *cap.* I. & in POLLUCIS *Onom. lib.* 4. *cap.* 3. & *lib.* 6. *cap.* 43. Inde apud HARPOCRATIONEM *in Lex. p. m.* 311. Ῥητορικὴ γραφὴ dici videtur accusatio, quæ contra *Oratorem*, præter jus & æquum quidpiam scribentem, dicentem, vel agentem intenditur. Confer JUL. POLLUC. *Onom. lib.* 8. *cap.* 6. *segm.* 52. Imo verò & apud Latinos, qui nomen Ῥήτωρ servarunt, inque suam linguam transfuderunt, *Rhetor* inde quoque Græcorum more pro *Oratore* usurpari solet. Sic CICERO, optimus nobis hisce in rebus Magister, *in Bruto, cap.* 11. *At ille ridens, Tuo vero, inquit, arbitratu: quoniam quidem concessum est Rhetoribus ementiri in historiis, ut aliquid dicere possint argutius, &c.* ubi loquitur de *Rhetoribus*, qui & simul erant *Oratores*; quique non solùm dicendi artem docebant, verum & ipsimet dicebant, id est orabant seu declamabant. Utrumque enim CICERO hic complecti voluit: quod & qui docent, declamationes fingant, ac mentiantur: & qui orant, historias sæpe aliter referant. Notum enim discrimen apud Romanos inter Declamatorem & Oratorem: Orator veras causas, Declamator fictas agebat: juxta illud MARTIALIS, *lib.* 2. *ep.* 7.

Declamas belle; caussas agis, Attale, belle.

Vide & *cap.* 76. *in Bruto*: *Reliqui sunt*, ait idem eloquentiæ Pa-

Pater, *qui mortui sint, L. Torquatus, quem tu non tam cito Rhetorem dixisses, (etsi non deerat Oratio) quam, ut Græci dicunt, πολιτικὸ.* *Rhetorem* nominat; id est, *Oratorem*, cui non deerat *Oratio:* in hoc enim libro catalogum texit *Oratorum.* Confer Rob. Stephani *Thes. ling. Lat. tom. 3. ad voc. Rhetor.* Idem 2 *Philip. cap.* 17. *in Anton. Et vero adhibes joci causa Magistrum, suffragio tuo, & compotorum tuorum, Rhetorem: cui concessisti, ut in te, quæ vellet, diceret. &c. At quanta merces Rhetori data est?* Et *lib.* 2. *de Finib. cap.* 6. *Quasi vero perpetua oratio Rhetorum solum, non etiam Philosophorum sit.* Inde *Rhetor eloquens* apud eundem, *lib.* 2. *de nat. Deor. cap.* 1. Sic & *Rhetores* & *Oratores* promiscue dicuntur, *L.* 11. *Cod. Theod. de Med. & Prof. frequentissimis in civitatibus, quæ pollent & eminent claritudine Præceptorum, optimi quique erudiendæ præsideant juventuti, Rhetores loquimur & Grammaticos, Atticæ Romanæque doctrinæ; quorum Oratoribus viginti quatuor annonarum e fisco emolumenta donentur, Grammaticis Latino vel Græco duodecim, &c.* Ubi qui primum *Rhetores*, mox *Oratores* vocantur. Et tritum est in Legibus, quod ibi *Oratores* ponuntur pro *Rhetoribus.* Vide *L.* 11. *C. de Prof. & Med. L.* 6. §. 5. *π. de excusat.* & *L. unic. C. de stud. liber. urb. Romæ.* Nec aliter apud Cassiodorum, in regis Athalarici epist. ad Senatum urb. Rom. *lib.* 9. *cap.* 21. sub nomine *Professorum* veniunt *Grammaticus*, *Orator*, & *Juris expositor:* ubi per *Oratorem* intelligitur *Rhetor.*

§. IX. Nihilominus tamen hoc ita non accipiendum, cum Erasm. Schmidio *in not. ad Pindar. Pyth.* Δ. 9. *p.* 191. ac si voces *Rhetoris* & *Oratoris* apud Romanos idem significarent, adeo ut ista sit Græca, hæc vero Romana, nullaque prorsus inter *Rhetorem* atque *Oratorem* debeat admitti differentia. Sed inter utrumque a multis auctoribus recte hoc constituitur discrimen; quod *Rhetor* proprie sit, qui Rhetoricam doceat, seu præcepta dicendi tradat: *Orator* vero, qui modo ex arte disserat, modo declamandi exercitia instituat, adeoque Rhetorices præcepta ac regulas ad declamandi vel orandi usum transferat atque accommodet. Sic Cicero *de Orat. lib.* 1. *cap.* 18. *Carneades vero multo uberius iisdem de rebus loquebatur: non quo aperiret sententiam suam, (hic enim mos erat patrius Academiæ, adversari semper omnibus in disputando) sed tum maxime tamen hoc significabat, eos, qui Rhetores nominarentur, & qui dicendi præcepta traderent, nihil plane tenere, neque posse quemquam facultatem assequi dicendi, nisi qui Philosophorum inventa didicisset.* Confer

fer WALCHII *Parerg. Acad. p.* 110. Et PLINIUS, *Epist. lib.* 4. *ep.* 11. *Audistine Valerium Licinianum in Sicilia profiteri? nondum te puto audisse; est enim recens nuntius. Prætorius hic modo inter eloquentissimos caussarum actores habebatur: nunc eo decidit, ut exsul de Senatore, Rhetor de Oratore fieret.* Erat Licinianus antea eloquentissimus *Orator*, nunc vero *Rhetor*, qui *in Sicilia profitebatur:* Literas intellige, speciatim *Rhetoricen:* quo sensu vox *profiteri* apud eum sumitur quoque, *lib.* 2. *ep.* 18. §. 3. Ex his constat *Rhetores* atque *Oratores* apud Romanos, quanquam interdum ab iis Græcanico more promiscue nominentur, proprie tamen ejusdem conditionis haud semper fuisse. *Oratores* autem (qui & Legati olim dicebantur: vide illustr. BYNKERSHOEK *de foro Legator. cap.* 1. *p.* 1.) in publicum prodire, & in concione dicere apte, ornate & distincte, atque adeo convertere in praxin studebant, quæ *Rhetores* (illi enim, ut cum vulgo loquamur, Theoretici erant) præceptis suis ad facultatem dicendi obtinendam inculcaverant. Ita quoque distinguit MARIUS VICTORINUS, *Expositione in* 1 *Rhetor. Ciceronis*, *ex* PITHOEI *bibliot. p.* 103. *Verum*, inquit, *Oratori minimum est de arte loqui, quod hic fecit: multo maximum ex arte dicere, quod eum minime potuisse facere omnes videmus. Orator duo habere debet, ut artem tradat dicendi, ut ipse ex arte dicat: sed officium ejus, hoc verum est, ut ex arte dicat. Illud autem accidens, ut artem dicendi tradat; quod Rhetoris officium solum est.* Et disertius, *p.* 80. *Ut sciamus, alium esse Rhetorem, alium Oratorem: hos libros artium, Rhetoricorum vocavit* (scil. *Cicero*) *ubi docet artem dicendi. Illos alios tres de Oratore nominavit, ubi illa quæ Orator habere debeat, ostendit.* Confer FUNCCIUM *de Virili Lat. ling. ætate, cap.* 6. §. 1. *p.* 324. Sic *Cicero*, at quantus ille vir! fuit quidem *Orator*, atque *Oratorum* facile princeps, neutiquam tamen *Rhetor*, qui Rhetoricen professus esset, ejusdemque artis præcepta aliis quæstus causa tradidisset. Etenim ipsemet filium suum ad *Rhetorem* misit: ut *lib.* 3. *epist.* 1. *cap.* 4. *ad Quint. Frat. Cicero noster, dum ego absum, non cessavit apud Rhetorem.* Itaque *Rhetores*, licet & *Oratores* dicantur, erant tamen proprie Rhetorices Præceptores: vel ut a CICERONE, *lib.* 1. *de Orat. cap.* 19. nuncupantur, *Rhetorici Doctores.* & 2 *Philip. cap.* 17. *Magistri Rhetores.* apud QUINCTILIAN. *instit. lib.* 2. *cap.* 1. *Declamandi Magistri:* atque iidem sunt, qui in nostra Lege *Professorum literarum* nomine insig-

niun-

niuntur: ut & *L.* 11. *C. Theod. de Med. & Prof.* & quidem *Professorum aliorum*, ut discernerentur a *Grammaticis*. Plura de illis apud TRANQUILLUM *de clar. Rhetoribus*. VOSSIUM, *in lib. de Rhetor. nat. & constit.* WALCHIUM *de præmiis vet. Sophist. &c. in Parerg. Acad. p.* 104. *&c.*

§. X. Verum enim vero quum & in Italia exstiterint *Sophistæ*, quorum mentio quoque fit in jure, necesse est, ut differentiam inter *Rhetorem* & *Sophistam* brevi percurramus. *Rhetoribus* autem præponuntur *Sophistæ*, *L.* 6. §. 1. *de excusat.* ubi recensentur *Grammatici*, *Sophistæ*, *Rhetores*, *Medici*. *L.* vero *unic. C. de stud. liber. urb. Rom.* illis postponuntur. Vocantur enim ibidem *Oratores*, *Grammatici*, *Sophistæ*. Erant etiam inter *Professores litterarum*. Sic *Valerius Maximus*, *lib.* 1. *cap.* 8. refert de Daphida, *Hic cum ejus studii esset*, *cujus Professores Sophistæ vocantur*: a σοφὸς, *sapiens*, ut omnibus cognitum. Inde *Sophistes* vel *Sophista* apud Latinos pro Oratore, seu declamandi Magistro, Præceptore, &c. *Sophistas appellarunt Latinarum litterarum eloquentissimi auctores*, inquit AUGUSTINUS, *locut. de Exodo*, *lib.* 2. §. 32. *in tom.* 3. *Oper. p. m.* 256. Ubi alii minus recte legunt; *Sophistæ appellantur Latinarum litterarum eloquentissimi auctores*. Olim autem *Sophistæ* dicebantur Philosophi & sapientiæ Professores: deinde vero Rhetores, qui eloquentiæ præcepta tradebant, & declamando etiam exercebant: imo & artium Professores & Doctores *Sophistæ* dicti, ut observat COLERUS *ad Valer. Maximi d. l.* Apud alios quoque Latinitatis auctores *Sophista* eum significat, qui in docendo artificio dicendi versetur. Ita sumit JUVENALIS, *sat.* 7. *v.* 167.

—— —— —— —— hæc alii sex,
Vel plures uno conclamant ore Sophistæ,
Et veras agitant liteis, raptore relicto.

Ubi Vet. Schol. *Cum mercedes reposcunt*, *alii exponunt*, *transeundo ad caussas*, *relictis controversiis scholasticis*. Postremo abiit nomen in invidiam, ut *Sophistæ* dicerentur, qui fictam quandam sapientiæ speciem jactitarent. Sic apud CICERONEM, *lib.* 4. *Academ. cap.* 23. *At quis est hic? num Sophistes? sic enim appellabantur ii, qui ostentationis, aut quæstus causa philosophantur.* Vide & *lib.* 2. *de Fin. cap.* 1. Confer SUIDAM *ad h. v.* DU CANGII *Glossar. Latinit. tom.* 3. *p. m.* 997. STEPHANI *Thes. Lat. ling. tom.* 4. *p.* 117.

p. 117. Verum antiquitus hæc vox non nisi honesta significatione usurpari solebat. *Hoc vero nomine*, inquit CÆL. RHODIGINUS, *lect. antiq. lib.* 19. *cap.* 17. *p. m.* 907. *dixerunt veteres, ut Græci scribunt, non modo Oratores præsignes, & summa dicendi copia perillustres; sed & Philosophos quoque dictione non usquequaque infantes. Nam & Plutarchus auctor est, Sapientes a nonnullis etiam Sophistas nuncupari.* Ejusmodi veteres *Sophistas* respicit CRESOLLIUS in eruditis. & elegantissimo libro, uti præclari omnes hujus Viri labores sunt, quem inscripsit *Vacationes autumnales, sive de perfecta Oratoris actione & pronunciatione*, sed qui rarissime hodie apparet, *lib.* 3. *cap.* 9. *sect.* 2. *p.* 505. *Sane*, inquit, *mihi persuadeo, simile quidpiam illos habuisse divinos homines in dicendo atque mirabiles, qui Sophistæ nominabantur.*

§. XI. De discrimine autem, quod inter *Rhetores* occurrit atque *Sophistas*, variæ eruditorum exstant opiniones, quas diligenter adeo ac studiose indagare ad nos non attinet. Latent enim antiquæ istæ res crassis occultatæ & circumfusæ tenebris. ACCURSIUS, aliique præterea quidam minorum veluti gentium interpretes ad *L.* 6. §. 1. *ff. de excusat.* per *Sophistas* intelligi volunt *Dialecticos*: quod esse falsum facile, & aliis e Legibus, ostendi potest. Magnus noster CUJACIUS, absque reverentia neutiquam nominandus, ad *d. L. Rhetores sunt, sive dicendi præcepta doceant, sive non. Sophistæ pro Doctoribus accipiuntur.* Existimat scilicet, *Rhetores* dici, qui eruditionem habent; sive artem dicendi doceant, sive non doceant. *Sophistas* vero, qui in docendo occupentur. Sed quæ opinio nec ab ipso probatur, nec ullis rationibus confirmari potest. Constat autem, atque antea multis a nobis ostensum, *Rhetores* in jure passim considerari ut Doctores, qui artis dicendi vel eloquentiæ tradunt præcepta: quod & Virum summum fugere nequivit. Alii itaque aliter: inter quos VOSSIUS, *de nat. & constit. Rhetor. cap.* 1. hunc in modum distinguit, quod *Sophista* ille sit, qui in dicendi studio exerceat alios: *Rhetor* vero, qui ipse quidem dicat, haud tamen alios condoceat: qua opinione Græcos tantum respicere videtur. Confer WALCHIUM *de præm. vet. Sophist. &c. in Parerg. Acad. p.* 112. Porro laudatus MARIUS VICTORINUS, *procemio exposit. in* 1. *rhetor. Ciceronis*, *p.* 80. quid *Rhetor*, *Sophista* & *Orator* distent, ita demonstrat: *Rhetor*, inquit, *est, qui docet literas, atque artis traditor est eloquentiæ. Sophista est, apud quem dicendi exercitium discitur. Orator est, qui in causis*

pri-

privatis ac publicis plena & perfecta utitur eloquentia. Secundum quam descriptionem *Rhetor* prior erat *Sophista*, ipsique viam parabat; prout *Grammaticus* prior fuit *Rhetore*. Eundem ordidem observat quoque TERTULLIANUS *de Pallio*, *in fine*, *p. m.* 119. *edit. Priorii*, ubi ita loquitur: *Habeo & alias artes in publico utiles. De meo vestiuntur, & primus informator literarum, &c.* (intelligitur *Grammatista*) *& Grammaticus, & Rhetor, & Sophista.* Et profecto VICTORINUS, quocum & omnino facit RHODIGINUS, *lib.* 19. *ant. lect. cap.* 17. haud contemnendus haberi debet harum rerum æstimator, utpote qui seculo quarto, imperante Constantio, per multos annos Romæ Rhetoricam docuit: e cujus schola plurimi non modo docti, sed & nobiles & Senatorii ordinis viri prodierunt: quique tanta eloquentiæ laude clarus fuit, ut statuam in Foro Romano sibi poni meruerit. Confer CAVEI *Hist. liter. ad an.* 362. *p. m.* 128. & OLEARIUM, *in Bibliot. script. Eccles. tom.* 2. *p.* 225. aliosque. Nihilominus verò nobis magis arridet CRESOLLII sententia, *in Theat. Rhet. lib.* 1. *cap.* 1. *p.* 10. *& seq.* utpote juri nostro maxime consentanea; cui etiam favet GOTHOFREDUS, *comment. ad L. ult. C. Theod. de stud. liber. urb. Romæ, &c. Est enim*, inquit CRESOLLIUS, *Rhetor hîc* (scil. *L.* 6. *π. de accusat.*) *proprie, qui dat eloquentiæ præcepta Latine; Sophista, qui Græce: quo uno in jure distinguuntur.* Et profecto *L. un. C. de stud. liber. urb. Romæ, &c.* hanc distinctionem diserte ita habet. Inter alia ibi hæc leguntur verba, digna omnino, quæ accuratius inspiciantur: *Habeat igitur auditorium specialiter nostrum in his primum, quos Romanæ eloquentiæ doctrina commendat, Oratores quidem* (qui alias & *Rhetores* nominantur) *tres numero, Grammaticos vero decem. In his etiam, qui facundia Græcitatis pollere noscuntur, quinque numero sint Sophistæ, & Grammatici æque decem.* Vulgaris lectio est, *facundia gravitatis:* quam quidam Glossarum auctores emendandam existimarunt; legendo *garrulitatis*, alii *gravatis:* cujusmodi verò correctiones cum ipsa re, de qua hîc agitur, nequaquam conveniunt. Sed vera lectio ex *L. ult. C. Theod. eod.* quam viri docti retinent, est *facundia Græcitatis. Græcitas*, pro *Græca lingua*, ut monet GOTHOFREDUS *in not.* Hujus edicti sententia sit satis clara, quod in eo duo genera Professorum eloquentiæ constituantur: alterum *Oratorum*, *quos Romanæ eloquentiæ doctrina commendet*, id est *Rhetorum*, qui Latine doceant: alterum *Sophistarum*, *qui facundia Græcitatis*, seu

Græcæ linguæ, *pollentes*, Græce nimirum instituant. Confer WALCHIUM, *l. cit. p.* 111. Eodem modo in monumentis cum juris Romani, tum aliorum auctorum, *Rhetor* & *Sophista* discernuntur. Quin etiam *Rhetores* digniores videntur fuisse *Sophistis*, hoc est, Latini Græcis eloquentiæ Doctoribus. Sane *L.* 11. *C. Th. de Med. & Prof.* Latino Grammatico viginti, Græco vero, si quis dignus reperiri potuerit, duodecim tantum annonæ præbentur.


§. XII. Veruntamen prout vidimus, *Rhetores* atque *Oratores*, diversos quidem, nihilominus in Legibus promiscue nominari interdum; eodem modo invenimus, diversa illa nomina *Rhetorum* ac *Sophistarum* tam sollicite semper ibi haud observari: sed ipsis sæpe numero communem fuisse appellationem, adeo ut *Sophista* aliquando significet, seu Græcum, seu Latinum, qui dicendi artificium tradat: quomodo sumitur *L. un. C. de Prof. qui in urbe Const.* cum sic edicunt Imperatores, *Grammaticos tam Græcos, quam Latinos, Sophistas & Jurisperitos, in hac regia urbe professionem suam exercentes, & inter statutos connumeratos, &c.* Quemadmodum etiam *Rhetoris* vel *Oratoris* nomen utrumque genus aliquando complectitur: ut *L.* 2. & 11. *C. de Prof. & Med.* & *L.* 6. §. 8. *D. de excusat.* & alibi. Quare in vetustis scriptoribus sæpius ad *Rhetoris* nomen, discriminis causa, quidpiam adjungitur, ut videlicet intelligatur, de Græcone an Latino sermo fiat. Sic TERTULLIANUS *adversus Valentin. cap.* 8. *p. m.* 253. *In scholis Carthaginiensibus fuit quidam frigidissimus Rhetor Latinus, Phosphorus nomine.* SUETONIUS *in Vespasiano, cap.* 18. *Primus*, inquit, *e fisco Latinis Græcisque Rhetoribus annua centena constituit:* hoc est, *Rhetoribus* & *Sophistis*. Nec non in Ænobarbi & Crassi edicto, quod recenset *in lib. de clar. Rhet. cap.* 1. *eos sibi nomen imposuisse Latinos Rhetores. L.* 11. quoque *C. Theod. de Med. & Prof. Rhetores loquimur & Grammaticos, Atticæ Romanæque doctrinæ.* & *L.* 15. *Cod. Th. de extraord. sive sord. &c.* (cui concordat *L.* 12. *C. de excus. mun.*) memorantur *Rhetores atque Grammatici eruditionis utriusque:* id est, Atticæ Romanæque doctrinæ seu eloquentiæ. Sic & *L.* 18. *C. Th. eod. Rhetoribus atque Grammaticis institutionis utriusque largimur.* Confer CRESOLLIUM *l. c.* & GOTHOFRED., *comment. ad d. L.* 11. *C. Th. de Med. &c.* Attamen verum quoque est, aliquando quidem in Italia, unum eundemque Sophistam vel Rhetorem & Græcas habuisse scholas, & Latinas, atque in utro-

terpretatur CUJACIUS *in Commentar. ad h. l.* & multis auctoritatibus confirmat. Varius vocabuli *Scholaſtici* uſus apud veteres auctores. Aliquando pro homine eleganti, omnium diſciplinarum ſtudioſo, & ſtudiis cultuque liberaliore imbuto, & politis moribus ponitur, & barbaro opponitur. Aliquando ſimpliciter pro homine docto, & in litteris vivente accipitur. Aliquando etiam pro diſerto & eloquente ſumitur. Sic apud SALVIANUM *in præf. libri de gubernatione Dei: Omnes enim*, inquit, *in ſcriptis ſuis cauſas tantum egerunt ſuas, &c. ut Scholaſtici ac diſerti haberentur.* Ubi RITTERSHUSIUS *in comment. Quia vero in Advocatis, ſeu cauſidicis ſeu patronis cauſarum, inprimis requiritur præter juris ſcientiam facundia & eloquentia, (Unde & quaſi proprium ac perpetuum eorum Epitheton eſt factum, ut ſalutentur Viri facundiſſimi & diſertiſſimi, L. 13. C. de advocat. diverſ. judiciorum, &c.) hinc factum eſt, ut Scholaſtici pro Advocatis etiam nominarentur. Atque ita intellexit* AUGUSTINUS, *tract. 7. in Joan. cum ita ſcriberet: Qui habent cauſam, & volunt ſupplicare Imperatori, quærunt aliquem Scholaſticum Jurisperitum, &c.* Bene itaque ſtudium ſuum & operam collocaſſe arbitramur, qui de indiſſolubili vinculo elegantioris Literaturæ cum Jurisprudentia ſcripſerunt; inter quos legi meretur CAR. CHRIST. SCHRAMMII *Schediasma Hiſt. Literario-criticum*, hac de re. Atque probabile igitur nobis & quaſi veriſimile videtur, Jureconſultos, ſive ut vocantur, *Doctores Legum*, nulla alia ex cauſa hic ultimo in loco poni, poſt *Grammatices* & *Rhetorices* Profeſſores, niſi propter ſtudiorum modum & ordinem, ut diximus, ſecundum quem primò *Grammatici*, dein *Rhetores*, poſtremo *Juris Doctores* arte ſua ſive ſcientia alios inſtituebant.

§. II. Res autem poſtulare videtur, priusquam de his *Legum Doctoribus* agamus, ut in expoſitionem non adeo, millies factam ac aliis, quam quidem in dignam ipſiusmet *Jurisprudentiæ* laudem & honorem pauca a nobis præmittantur. Præcipua profecto & utiliſſima humanæ ſapientiæ pars *Jurisprudentia* eſt, auguſta illa & in ſolatium humanæ neceſſitatis exculta diſciplina. Nam intercepta ea atque ſublata, quæ vita mortalium, quis nobis futurus ſtatus? Mutabunt brevi in belluas homines: Regnaque atque Reſpublicæ quid aliud erunt, niſi tyrannides & officinæ improbitatis? Quare humani generis intereſt maxime, vigere Diſciplinam æqui ac juris, quam

Plato *regiam ſcientiam* appellavit, quoniam ſine ea nemo Reipublicæ recte ac feliciter præeſſe poteſt. Confer Buchneri *Diſſert. Acad. diſſ.* 355. *p. m.* 455. Hæc eſt illa divinarum atque humanarum rerum notitia; juſti atque injuſti ſcientia, Ulpian. *L.* 10. §. 2. *ff. de juſt. & jur.* & Justinian. §. 1. *inſtit. eod.* quæ in ſcholis & cathedris non modo diſputat, ſed & quæ in foro difficiliora tractat negotia, litesque decidit atque dirimit, ac ſuum cuique tribuit jus: absque qua neque conſtare familiæ, nec ſalvæ eſſe fortunæ noſtræ, nec ipſa florere Reſpublica poteſt. Quapropter qui hanc contemnendam putat, is vincula revellit, non modo judiciorum, ſed utilitatis etiam vitæque communis. Eheu veriſſimum equidem, pulcherrimam non ſolum, ſed & late patentem *Juris-prudentiæ* Diſciplinam non levi etiam intemperie laborari, propter cultorum ejus quorundam inſolentiam, qui ex Legibus ſolis ſapere ſatis ſibi putant. Invenire enim hîc eſt tenebricoſa quædam Rabularum & Legulejorum ingenia, quorum facundia forum infamat æque ac vexat; quique inopes ad ſuffragandum, faciles ad nocendum, Philoſophiam non modo, ſed & neceſſarias cæteras ſcientias, litterasque humaniores infelici ac nefando divortio a Jurisprudentia ſejungunt, atque *anguſtis illam*, (ut queritur Morhofius *in Orationibus*, *p.* 131.) *litigantium ſubſelliis circumſcribunt, & reciprocis altercantium latratibus determinant*; quos merito judicat; *formularum potius cantores & Legulejos, quam Jurisconſultos vocandos.* Juſtiſſima verò, nec minus feſtiva Idiotarum iſtorum hæc repræhenſio apud Majoragium, *in Philochryſo, p. m.* 349. *Quid*, ait, *de Jurisconſultis dicam? qui auri deſiderio juris nodos & legum ænigmata quam deligentiſſime perſcrutantur, & inextricabiles plurimorum Bartolorum opiniones diſſolvere contendunt, & chartis totas noctes immoriuntur, mane vero proferunt in lucem grandia conſilia, quæ ſingula nulli mortalium minoris quam decem aut viginti nummis aureis addicant. Tranſeo Cauſidicos, Notarios, Procuratores, qui totos dies injudiciis blaterant, & tota mendaciorum plauſtra, totas naves, profundunt, cauſasque clientum de die in diem prorogant, donec crumenam eorum vacuam viderint.* Ejusmodi rixarum ineptiarumque exploratores forte reſpicit quoque Lipsius, *cent.* 3. *Miſcel. epiſt.* 78. ubi facta mentione lepidi Rudolphi alicujus dicti: *Quicunque tres lites habet, duas, ſi poterit, componat: hoc eſt meum conſilium:* de ſuo addit: *Et hercules meum, ô Rudolphe: ſed hoc am-*

utroque genere declamandi laborasse. Nam cum in toga Latine dixisset, mox sumpto pallio, quasi persona mutata, redibat in suggestum, & Græce orationem fundebat. De quibus SENECA, *lib.* 4. *controv.* 26. prope ad finem: *illos semper admiraretur, qui non fuerunt contenti unius linguæ eloquentia. Cum Latine declamaverant, toga posita, sumpto pallio, quasi persona mutata, redibant, & Græce declamabant: ex quibus fuit Sabinus Clodius, in quem uno die & Græce & Latine declamantem multa urbane dicta sunt.* Atque ita tandem finem hisce rebus fieri ratio postulat.



CAPUT SEPTIMUM.

De Doctoribus Legum.

§. I.

Postremo & *Doctores Legum* commemorantur. Primum *Medici*, seu ejus artis Præceptores, tenent locum, aliisque Professoribus meritò anteponuntur; utpote qui *salutis hominum*, *illi* verò *studiorum curam agunt*, *L.* 1. §. 1. *ff. de extr. cogn.* ut vidimus. Hos excipiunt *Grammatici*, institutione sua eloquentiæ Magistris antecedentes, *Rhetoribus* scilicet ac *Sophistis:* qui tertio loco recensentur, sub appellatione *Professorum aliorum literarum.* Etenim *Rhetoris* docendi officium posterius esse *Grammatici*, Cap. præced. prolixius ostensum. Ultimo loco nominantur *Doctores Legum:* quod ita plerumque factum in Jure arbitramur, ob solam studiorum rationem & ordinem. Sic & *L.* 6. §. 12. *π. de excusat.* postquam locutus est MODESTINUS de *Medicis*, *Philosophis*, *Grammaticis* & *Rhetoribus*, addit demum *Legum Doctores Romæ docentes.* *L. un. C. de stud. liber. urb. Rom.* post tres numero *Oratores*, decem *Grammaticos*, quinque *Sophistas*, unum *Philosophum*, duo denique sequuntur, *qui Juris ac Legum voluntates pandant.* Confer & *L. un. C. de Prof. qui in urb. &c.* ubi recensentur *Grammatici tam Græci quam Latini*, *Sophistæ*, *& Jurisperiti.* & *L. un. C. Th. eod.* post *Grammaticos Græcos*, Helladium & Syrianum; *Latinum*, Theofilum; *Sophistas*, Mar-

 tinum

tinum & Maximum; tandem memoratur *Jurisperitus*, Leontius. Non lubet quidem hic inquirere in Thesin istam celeberrimam, multò a CICERONE agitatam, *in Orat. pro L. Muræna: Jurisprudentiam* videlicet *postponendam esse Eloquentiæ, & rei Militaris scientiæ:* quam ibi ex arte Aristotelica pluribus probare conatur Eloquentiæ princeps: licet & contrariam Thesin defendat *in Orat. pro Cæcinna*, ubi prolixe ille de Jure & Jurisconsultis agit. Verum si quis priori CICERONIS loco contra *Jurisprudentiam* locum directe oppositum velit, is adeat AONII PALEARII *Orationem*, plane Tulliano genio scriptam, omnique lectione dignissimam, quam ille *in L. Murænam* Ciceronianæ contrariam edidit, quæque ejus *Orationum* prima est, *in noviss. edit.* Sed hisce prætermissis, nemo nostro judicio facile inficias ibit, si modo proprium ac naturalem doctrinæ seu institutionis ordinem respiciamus, Eloquentiam anteriorem esse Jurisprudentia, illamque quodam modo sine Jurisprudentia posse esse; Jurisprudentiam vero non sine Eloquentia, quia responsa & decreta Jurisconsultorum firma esse nequeunt, nisi Oratoris defensio adsit, & illa ipsa quoque Eloquentia opus habent, ut confirmentur: imo plane interdum enerventur. Quamobrem qui Jurisprudentiam excolunt absque Eloquentia, longe aptius nobis videntur Leguleji nuncupari, quam Jurisconsulti. Verè igitur DIOD. TULDENUS, Jurisconsultus egregius, in aureo illo, quem *de Cognitione sui* libro scripsit, *lib.* 3. *cap* 1. de Oratore: *Quamvis Jurisprudentia altiorem spiret prudentiam, quam Eloquentia; verus tamen Orator non ingenii tantum vi, sed & scientiæ amplitudine Legulejum antecellit.* Confer MORHOFII *Polyhist. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 1. §. 36. GROTIUS quoque *Epist.* 179. *ad Gallos: Jurisconsulti munus*, ait, *virum magnum non faciet, nisi Eloquentia accedat, cujus & præcepta & exercitatio magnam diligentiam exigunt: præsertim cum, ut veteres nos docent, orbem quendam disciplinæ ea res in se complectatur.* Proinde olim Jurisperiti, priusquam in juribus erudirentur, in liberalibus artibus instrui consueverant. Etenim AMMIAN. MARCELLINUS, *lib.* 14. *cap.* 6. de Orsito loquens, diserte notat, quod fuerit quidem *Vir prudens, & forensium negotiorum oppido gnarus, sed splendore liberalium doctrinarum minus, quam Nobilem decuerat, institutus.* Confer PANZIROLUM *de clar. leg. interp. lib.* 2. *cap.* 1. *p.* 71. Hinc & *Scholasticorum* appellatione insigniuntur *Advocati*, *L.* 2. *C. de lucr. advocat.* ut inter-

amplius, *etiam tertiam*, *ut nullum caput huic Cerbero superſit.* Et mox: *Quid magis ſolenne noſtris moribus & juridicina? Lis litem gignit*, *iterumque hæc aliam*, *& catena fit*, *quæ hæredes etiam ligat.* Iſtud hominum genus feſtivus PLAUTUS, *in Poenulo*, *act.* 3. *ſcen.* 2. *V.* 9. vocat *juris coctiores*:

Hodie juris coctiores non ſunt, *qui lites creant*,
Quam ſunt hi: qui ſi nihil eſt litium, *lites ſerunt.*

Ridiculum dictu *juris coctiorem* pro *juris doctiorem* dicere: quod urbanitate comica conditum protulit, ambigui occaſione uſus. Nam & jus culinarium coquitur. Confer TURNEBI *Adverſ. lib.* 15. *cap.* 7. Quamvis autem in legibus Imperatorum multa in eos jurgantes ſtatuuntur, *quorum ætates*, ut Auguſtorum verbis utamur, *veternoſis litibus conſeneſcunt*, *L. un. C. Th. de dilat. ex conſ.* Sed maxime Conſtantini M. edicto, *L.* 1. *ejusd. C. de poſtul. Advocati*, *qui conſceleratis depectionibus ſuæ opis egentes ſpoliant atque denudant*, *ab honeſtorum cœtu*, *judiciorumque conſpectu ſegregari*, vel removeri jubentur.

§. III. Verum enim vero hæc, & alia a doctis & ſapientibus in medium prolata, de faſtidioſorum commentariorum multitudine; de quæſita ſententiarum novitate; de ſupervacuarum quæſtionum vanitate, quibus explicandis integrum non ſolum impenderes ſeculum, ſed & in quibus Hercules ipſe laborem inveniret decimum tertium; deque horribilium illorum Gloſſatorum agminum expugnatione etiam, ac tot contrariarum Legum reconciliatione; hæc, inquam, & alia ſexcenta veræ *Jurisprudentiæ* honori atque uſui non magis quid detrahunt, quam quod aliarum ſcientiarum abuſus noxiaque & incommoda quibus forte obruantur, in earum vituperationem merito caderent. Confer BERGERI, eloquentiſſimi Oratoris, *Stromateum Academ. p.* 280. Profecto quanquam hæc quæ diximus ita ſe habeant, nec forſan ullo modo ubique diſſimulari poſſent, abſit tamen, procul abſit, ut quis putaret, ipſam artem Jurisconſultorum, *Reginam illam ſcientiarum*, ut a RICHTERO appellatur *in Epiſt. Select. p.* 162. eſſe nefariam, & humano generi pernicioſam. Imo vero Juris ſcientiam, & Civilem diſciplinam viri clariſſimi eximium quoddam Philoſophiæ genus eſſe volunt. Si enim quæras ipſius incunabula, Philoſophiæ ejus, quæ conſiſtit in actione, ſuboles eſt, cum non ſolum

ſolum conſideret, quid juſtitiæ æquitatisque naturalis ratio exigat; ſed etiam, quid humana conſociatio patiatur, & populi cujusque mores, ac forma Reipublicæ ferat. PLINIUS junior loquens de Euphrate Philoſopho ſapientiſſimo, in laudem ejus ita ſcribit, *lib.* I. *Epiſt.* 10. *Soleo nonnunquam de his occupationibus apud Euphratem queri. Ille me conſolatur; adfirmat etiam, eſſe hanc Philoſophiæ, & quidem pulcherrimam partem, agere negotium publicum, cognoſcere, judicare, promere & exercere Juſtitiam, quæque ipſi doceant, in uſu habere.* Confer RUTGERSII *var. lect. lib.* 4. *cap.* 3. JUSTINIANUS vero Juriſprudentiam omni ex parte ſacram eſſe vult, qui Juris Corpus *quaſi ſanctiſſimum templum Juſtitiæ* appellat, *in cap. de concept. Digeſt.* & Juri attribuit religionem, dum ait, *in pr. inſtit.* Imperatorem eſſe debere *Juris religioſiſſimum*; atque Conſtitutiones vocat *ſacratiſſimas.* ULPIANUS etiam Juriſconſultos *Juris Sacerdotes* appellat, *L.* I. §. I. *π. de juſt. & jur.* quamvis TURNEBUS, *lib.* 8. *Adverſ. cap.* 20. exiſtimat, in Philoſophorum invidiam & contumeliam hoc ab eo factum, propterea quod Philoſophi Stoici ſuum ſapientem ſolum verè Sacerdotem profitebantur: cum ULPIANUS aſſimulatam non veram nec ſinceram eorum Philoſophiam prædicet. Præclarè etiam Theodoricus rex ad Eugenium, apud CASSIODORUM, *var. lib.* I. *ep.* 12. *Eſto innocentiæ templum, temperantiæ ſacrarium, ara juſtitiæ. Abſit a judiciariis mentibus aliquid profanum.* Confer CRESOLLII *Myſtagogum*, *lib.* 2. *cap.* 19. *ſect.* 2. *p.* 327. Infinita ſunt hujusmodi, quæ declarant, Juriſconſultorum profeſſionem eſſe maxime honoratam, artem ipſam in humanis rebus eximiam, qua nihil in terris divinius, nihil admirabilius, poſt ſacroſanctam Religionem; quinimo ipſos legum & judiciorum adminiſtros pulcherrimis & fructuoſiſſimis ſuis laboribus omne genus humanum obſtringere; nec quorundam ſcelus & avaritiam, impunitamque fori licentiam, clariſſimorum hominum ſplendorem, atque ipſiusmet *Juriſprudentiæ* lumen inobſcurare poſſe. Nam ſi morum perverſitate, vel advocatorum nequitia, vel judicum etiam ſordibus laus ipſius Juris obtereretur, nihil erit tam præſtabile, quin abjiciendum videatur, nihil tam ſacrum auguſtumque, quin profanum putetur ac leve. Etenim cognitum, Carneadem Philoſophum Athenienſem, cujus in dicendo copia maxima fuit, ut nævos Juriſprudentiæ ſui temporis detegeret, ipſo Cenſorio Catone Romæ audiente, ita nervoſiſſime contra Juſtitiam oraſſe, eamque

aut

aut omnino nullam, aut si qua esset, summam stultitiam dixisse, idque tanto cum acumine, ut dubium fuerit, an majoribus viribus pridie *pro* Justitia, an postridie *contra* eandem disseruisset. Confer QUINCTILIANI *inst. lib.* 12. *cap.* 1. & BURCHARDUM *de hodiernæ Jurisprud. nævis & remed. p.* 51.

§. IV. Jurisprudentiæ autem studium apud Romanos semper floruit, fuitque primarium ipsorum, una cum Eloquentia & Philosophia. Nec immerito apud illos in tanto honore præ cæteris gentibus Jus civile erat, ut hæc scientia eximia & peculiaris Romanorum fuerit: cujus inventores ipsi & habebantur & erant. Unde Jurisconsultis æque, ac summis exercituum Ducibus, maximisque Oratoribus, potiores gradus in Republica patebant. Vide GRAVINAM *de ort. & prog. jur. civ. cap.* 40. *p. m* 44. Quin imo veram Philosophiam & Juris scientiam, ad usum civitatis & reipublicæ comparatam, nec prisci Romani neglexerunt. Testes clarissima nomina, a POMPONIO, *L.* 2. *ff. de orig. jur.* laudata, Æliorum, Scævolarum, Semproniorum, aliorumque, quorum interpretatione opus erat ad forensem eloquentiam stabiliendam. De iis ita POMPONIUS, *d. l.* §. 35. *Juris civilis scientiam plurimi & maximi viri professi sunt. Sed qui eorum maximæ dignationis apud populum Romanum fuerunt* (*eorum*) *in præsentia mentio habenda est: ut appareat, a quibus & qualibus hæc Jura orta, & tradita sunt.* Meminit ibi etiam POMPONIUS §. 43. præclari Q. Murcii dicti, *turpe esse patricio & nobili, & causas oranti, Jus, in quo versaretur, ignorare.* Sic & *Auctor dialogi de caus. cor. eloq. cap.* 31. refert, *Veteres Oratores* apud Romanos *& Juris civilis scientiam comprehendisse*; addita hac ratione: *Incidunt enim causæ plurimæ quidem ac pœne omnes, quibus Juris notitia desideratur.* Quamobrem de sui temporis Oratoribus meritò queritur, hoc ab illis *adeo negligi, ut in actionibus eorum fex quoque cottidiani sermonis, fœda ac pudenda vitia deprehendantur, ut ignorent leges, non teneant Senatusconsulta, jus civitatis ultro derideant, &c.* Nostræ verò adeo non sunt partes tractare hic Jurisprudentiæ Romanæ originem ac progressus, quod ab aliis abunde ubique factum: sed potius considerare, quæ ad hujus scientiæ doctrinam vel institutionem apud veteres proprie pertinent; nec alio quidem fine, quam ut lucem aliquam *Legum Doctoribus* afferamus.

§. V. Juris scientia antiquissimis temporibus, ne evulgaretur, tanquam mysterium sancte custodiebatur a Patriciis, non do-

cendo, fed refpondendo folummodo eam explicantibus; nec temere quemquam, nifi fui ordinis, hifce facris initiantibus. Addifcebatur illa ufu magis, ut videtur, quam inftitutione: quod in tanta Romanarum legum penuria tunc facilius fieri potuit. Vide HEINECCII *Antiq. Rom. ad Inftit. proëm.* §. 42. & HELLFELDI *Hift. Jur. Rom. lib.* 1. *cap.* 2. §. 35. Sed inventus tandem, qui totum hoc Patriciorum prodidit arcanum, *Tiberius Coruncanius*, vel ut alii legunt *Coruncanus*, qui vixit tempore primi belli Punici, quique fub initia belli Tarentini A. U. C. 473. ut *Fafti Capitolini* teftantur, collega P. Valerio Lævino, Conful de Vulfinienfibus, &c. triumphavit; & cenfuram geffit cum C. Claudio, anno ab U. C. 485. & circa an. 507. Dictator etiam fuit comitiis habendis. Confer GROTIUM *de vitis Jurifconf. lib.* 1. *cap.* 2. & GRAVINAM *de ortu & progr. jur. civ. cap.* 47. *p. m.* 51. Hic primus non folum ex plebe Pontifex Maximus fuit, verum primus quoque publicam Juris civilis profesfionem eft ingreffus; atque ejus cognitionem, quam alii in latenti habuerunt, odio Patriciorum paulo amplius divulgavit, feque difcentibus tradidit; reliquitque fententias plures, atque refponfa ab auditoribus fuis recepta. Confer PANZIROLUM *de clar. leg. interp. lib.* 1. *cap.* 6 & 7. & RUTILII *vitas Jurifconf. cap.* 5. Sic POMPONIUS, *d. L.* 2. §. 35. *Et quidem ex omnibus, qui fcientiam nacti funt, ante Tiberium Coruncanium publice profeffum neminem traditur. Cæteri autem ad hunc vel in latenti Jus civile retinere cogitabant, folumque confultatoribus vacare potius, quam difcere volentibus fe præftabant.* Habetur itaque Coruncanius princeps Legum Romanarum Doctor.

§. VI. Ejus exemplum deinde fecuti funt alii, veluti Q. Mucius Scævola, C. Aquilius Gallus, L. Lucilius Balbus, T. Juventius, Q. Cornelius Maximus, & inprimis Servius Sulpicius, &c. quorum memoriæ apud CICERONEM *in Bruto*, & alibi, fervatæ funt. Ex eorum ædibus, ut refert HEINECCIUS, *l. c.* tanquam ex equo Trojano, magna præftantiffimorum Jurifconfultorum frequentia prodiit. Quum vero hi omnes ampliffimos in Urbe honores gefferint, facile eft ad exiftimandum, eos adeo non quidem publicas fcholas aperuiffe, aut levi præmio invitatos fubfellia pofuiffe difcentibus. Sed folebant, quum de jure confulentibus refponderent, admittere juvenes, qui audirent, notarentque refponfa, rationemque tradendi atque interpretandi Juris, adeoque una opera & confulentibus,

bus & discentibus satisfacere. Confer CICERONIS *Orat. ad Brut. cap.* 41. & *cap.* 89. *in Bruto*, ita de se ipso loquitur: *Ego autem, juris civilis studio, multum operæ dabam Q. Scævolæ, P. F. qui quamquam nemini se ad docendum dabat, tamen consulentibus respondendo, studiosos audiendi docebat.* Alios verò Jus Romanum ante Tullii tempora Doctores vel Magistros non habuit. (Atque eodem instituto, quo veteres illi Jurisconsulti fuerant usi, juvenes domi habuisse videntur dein Papinianus, cujus discipuli omnes Juris Professores memorantur a LAMPRIDIO *in Alex. Severo, cap. ult.* aliique egregii Jureconsulti, quorum in Digestis exstant fragmenta. Confer HEINECCII *Ant. Rom. ad Inst. pro.* §. 44.) Sed tractu temporis hujus scientiæ doctrina magis ac magis communior facta est, seque latius ubique extendit, adeo ut Antonini Pii temporibus, quando A. GELLIUS vixisse creditur, (vide FUNCCIUM *de veg. Lat. ling. senect. cap.* 4. §. 5. *p.* 321. *& seq.*) Romæ vel in ipsismet stationibus Jus publice doceretur. Sic enim hic Auctor, *lib.* 13. *cap.* 13. *Quum ex angulis secretisque librorum ac magistrorum in medium jam hominum & in lucem fori prodissem, quæsitum esse memini in plerisque Romæ stationibus jus publice docentium aut respondentium, an quæstor populi Romani ad prætorem in jus vocari posset?* Quæ hîc vocantur simpliciter *Stationes* erant omnia loca publica, in quæ post negotia solebant cives seu universi, seu certi generis homines convenire, audiendi & confabulandi, vel desidendi gratia. PLINIUS, *lib.* 1. *epist.* 13. ita de iis loquitur: *Plerique in stationibus sedent, tempusque audiendi fabulis conterunt, ac subinde sibi nuntiari jubent, an jam recitator intraverit, an dixerit præfationem, an ex magna parte evolverit librum.* Et *lib.* 2. *epist.* 9. *Itaque prenso amicos, supplico, ambio domos, stationesque circumeo.* Sic Salvidieno Orfito apud SUETONIUM *in Nerone, cap.* 37. objectum est, *quod tabernas tres de domo sua circa forum civitatibus ad stationem locasset.* OVIDIUS quoque, *lib.* 3. *Trist. eleg.* 1. *v.* 79.

Interea, statio quoniam mihi publica clausa est,
Privato liceat delituisse loco.

Ubi posset & respici ad *Stationes* in urbe Roma, quæ ibi multiplices erant, ut Porticus, Forum, Officina, Tabernæ, Basilicæ, & alia loca publica, in quibus & recitationes fie-

 bant,

bant, & otiosi, ut diximus, ad confabulandum conveniebant. Confer celeb. BURMANNI *not. ad c. l.* OVIDII, ac SUETONII etiam. Plura de hisce *Stationibus* BARTHIUS, *lib.* 2. *Adversf. cap.* 22. annotavit ad exponendum locum JUVENALIS, *Sat.* 11. *V.* 4.

—— —— —— —— —— omnis
Convictus, thermae, stationes, omne theatrum
De Rutilo.

Ac si dicere voluisset; omnia conventicula loquuntur de eo, quod Rutilus homo pauper & plebejus Apiciana luxuria mensam ponat. Eodem modo & *stationes jus docentium* erant Romae, ubi Advocati vel Doctores de jure consulentibus responsuri, aut ipsos docturi convenire solebant. Unde Vetus Scholiastes JUVENALIS ad illud *Sat.* 7. *V.* 118.

Figantur virides, scalarum gloria, palmae:

notat: *Scalas, armariola Advocatorum, vel ut quidam, casae & stationes.* Confer GRONOVII *not. ad Gellii l. c.*

§. VII. Veruntamen eo tempore nondum quidem certi atque ordinarii Juris Doctores aut Professores publica auctoritate erant constituti; sed, ut quisque studiorum suorum habebat fiduciam, ita consulentibus aeque ac discentibus se videtur dedisse. Postremo autem sub Christianis Imperatoribus publica Romae schola floruit, Jurisprudentiae etiam studiis consecrata, in qua & Jurisconsulti, certo stipendio conducti, publice docere coeperunt. Facies hujus scholae sic satis elucet ex Theodosii junioris & Valentiniani Augustorum Constitutione, quae est *L.* 3. *C. Th. de stud. lib urb. Rom. & Const.* & *un. C. eod.* Discere enim est ex illa Constitutione, scholam illam publicam fuisse tum habitam in Capitolio: fortasse tamen non veteri, ut verisimile videtur CONRINGIO, *Antiq. Acad. sup.* 12. *p. m.* 223. Sed novo Christianorum Imperatorum instituto, post sacra Capitolini Jovis antiquata. Porro & in ea docuisse Oratores seu Rhetores Latinos quidem tres, Grammaticos Latinos decem, Sophistas Graecos quinque, Grammaticos aeque decem, Philosophum unum, & Jurium Professores duos, *qui Juris ac Legum formulas*, vel *voluntates*, pandant, ut ibi

ibi deſcribuntur. Fuit verò hæc ſchola Romana olim florentiſſima, atque unica juridica in Occidente, adeoque frequens, ut undecunque eo juvenes confluerent, ad Jus civile diſcendum, atque alias diſciplinas. Modeſtinus, *L.* 36. *pr. ff. ad municip. & de incol. Titio cum eſſet Romæ ſtudiorum gratia, epiſtola miſſa eſt a magiſtratibus patriæ ſuæ.* Inde CLAUDIANUS *de laud. Stilicon. lib.* 3. *V.* 136. ita de Roma:

Armorum legumque parens: quæ fundit in omne
Imperium, primique dedit cunabula Juris.

Et in RUTILII *itinere, lib.* 1. *Vers.* 209.

Facundus juvenis, Gallorum nuper ab arvis
Miſſus Romani diſcere jura fori.

Iuvenes Galli Romam veniebant, non quod in ſuis provinciis atque patria terra ſtudia non florerent: ſed ut vel ubertatem Gallici nitoremque ſermonis gravitas Romana condiret, vel ut fori Romani jura diſcerent. Vide HIERONYMUM *ad Ruſticum Monach. Epiſt.* 4. & CONSTANTIUM *in vita S. Germani, cap.* 1. *Ut in eum*, inquit, *profectio literarum plena confineret; poſt auditoria Gallicana intra urbem Romam Juris ſcientiam plenitudini perfectionis adjecit.* Confer SITZMANNI *Not. in Rutilii l. c.* Quin imo ex omnibus orbis Romani provinciis hoc ævo ſcholares ſeu adoleſcentes eo proficiſcebantur ſtudiorum gratia, ac nominatim ex Africa, de quo potiſſimum *L.* 1. *C. Theod. de ſtud. lib. urb. Rom. &c.* cum alioquin Africa ipſa jam olim *Nutricula Cauſidicorum* audiret apud JUVENALEM, *Sat.* 7. *V.* 148. de quibus etiam Africæ Advocatis eſt *L.* 46. *ejusd. Cod. de decurion.* Præclare etiam hæc Romana ſchola laudatur ab AUGUSTINO, *lib.* 5. *Confeſ. cap.* 8. ubi de ſe ipſo teſtatur: *Non ideo Romam pergere volui, quod majores quæſtus, majorque mihi dignitas ab amicis, qui hoc ſuadebant, promittebatur, quamquam & iſta ducebant animum tunc meum: ſed illa erat cauſſa maxima & pene ſola, quod audiebam quietius ibi ſtudere adoleſcentes, & ordinatiore diſciplinæ coërcitione ſedari, ne in ejus ſcholam, quo magiſtro non utuntur, paſſim & protervè irruant; nec eos admitti omnino, niſi ille permiſerit.* Et ipſe ſanctiſſimus Eccleſiæ pater Romæ tunc Rhetoricam docuit, ut ibi *cap.* 12. narrat porro, ajens: *Se-*

dulo ergo agere cœperam, propter quod veneram, ut docerem Romæ artem Rhetoricam; & prius domi congregare aliquos, quibus & per quos innotescere cœperam; & ecce cognosco alia Romæ fieri, quæ non patiebar in Africa. Plura dabit GOTHOFREDUS *ad L.* I. *C. Theod. de stud. lib. urb. Rom. &c.*

§. VIII. Constantinopoli porro celeberrima etiam erat schola, ubi primo quidem jussi sunt salario publico docere soli Rhetores & Grammatici. Verum his addidit Theodosius unum Philosophiæ Doctorem, & duos Juris Professores: quod post confirmatum est a Justiniano. Vide *cit. L.* 3. *C. Th. de stud. lib. urb. Rom. &c.* & *L. un. C. eod.* Erat hæc schola in Auditorio, seu intra Auditorium Capitolii Constantinopoli; atque in ea studia exercebantur a Magistris tantum, qui ab Imperatore erant constituti, quique in privatis ædibus docere prorsus prohibebantur, *d. L.* 3. & *un.* In utraque enim diserte legitur: *Sin autem ex eorum numero fuerint, qui videntur intra Capitolii Auditorium constituti, hi omnibus modis privatarum ædium studia sibi interdicta esse cognoscant.* Nolebat autem Imp. Theodosius extra Auditorium Juventutem doceri ab iis Magistris, qui publice in collegium Professorum adsciti essent & adprobati; (quod non nisi privatis Doctoribus integrum quidem erat:) idque tuendæ publicæ Professionis, seu Academiæ Constantinopolitanæ dignitatis ergo: ne alioquin paulatim illa prolaberetur, ac publici Professores sibi soli in scholis relinquerentur. Confer GOTHOFREDI *com. ad d. L.* 3. *C. Theod.* Nihil prorsus memorabile de hac Constantinopolitana Academia nobis occurrit. Etsi enim hac in Urbe aliqua semper ad finem usque Orientalis Imperii Romani manserit schola, eaque interdum sic satis præstantibus florens Magistris; nihilominus tamen nec ejus instituta a quopiam, quod sciamus, sunt memorata: nec etiam quæ illius semper fuerint fata. Confer CONRINGIUM, *Antiq. Acad. supplement.* 23. §. 4. Quapropter nec a nobis hic quicquam porro eorum potest adjici.

§. IX. Tertio hic consideranda venit schola Berytiana, in qua & Jus traditum. Beryti quidem (quæ erat celeberrima Phœniciæ urbs, a Theodosio jun. Imp. Metropolis facta, *L. un. C. de metrop. Beryt.*) jam seculo tertio exeunte studia Juridica floruerunt, atque gymnasium illud antiquius Constantinopolitano fuit. Reperitur enim jam institutum imperante Diocletiano, *L.* I. *C. qui ætat. vel profess. se excus.* ubi Impp. Dioclet. & Max-

Maximian. ita conſtituunt: *Cum vos adfirmetis liberalibus ſtudiis operam dare maximè circa Juris profeſſionem, conſiſtendo in civitate Berytiorum provinciæ Phœniciæ, &c.* Florentiſſima fuit hæc Berytienſis ſchola, longeque celeberrima, *quam & legum nutricem bene quis appellet*, ut ait JUSTINIANUS, *Conſtit.* §. 7. *ad Anteceſſ. de Juris docendi ratione.* Et veriſimile prorſus videtur, obſervante MENAGIO, *Amœnit. Jur. cap.* 24. *p.* 134 *& ſeq.* quatuor quidem numero Juris Profeſſores in illa ſchola docuiſſe: quod conjicere eſt ex laudata *Conſtitutione*, nominatim ſcripta ad octo Anteceſſores, ſeu Juris Profeſſores. Cum enim ex *L.* 3. *C. Th. de ſtud. lib. urb. Rom. &c.* & *L. un. C. eod.* diſerte conſtet, duos duntaxat Romæ, totidem Conſtantinopoli fuiſſe Anteceſſores, nihil proinde videtur reſtare, niſi quod quatuor reliqui fuerint Berytienſes. Præterea ex vetere *Anonymo Chorographo* Græco (quem edidit, vertit, & doctiſſimis notis, ut ſemper, illuſtravit JAC. GOTHOFREDUS) ſub Conſtantio & Conſtante, *cap.* 17. §. 3. intelligere eſt, Berytum Juriſconſultorum feracem, & Adceſſorum proinde nutriculam fuiſſe, unde illos per Orientem etiam evocari, ut Magiſtatibus adſiderent, ferme mos erat. *Jam Berytus*, inquit ille Anonymus, *civitas valde delitioſa, & auditoria legum habens, per quam omnia Judicia Romanorum. Inde enim Viri docti in omnem orbem terrarum adſident Judicibus, & ſcientes leges cuſtodiunt provincias, quibus mittuntur legum ordinationes.* Confer GOTHOFRED. *ad L.* 1. *C. Theod. de Aſſeſſorib. domeſt. &c.* Recenſetur Geographiæ ille Græcus ſcriptor a FABRICIO, *in Bib. Gr. lib.* 4. *cap.* 2. §. 17. ejusque Latinam verſionem exhibet quoque GRONOVIUS *ad Scylacem*, *p.* 251 *& ſeq.* Plura de illuſtri hac Berytienſi ſchola apud MENAGIUM, *l. cit.* CONRINGIUM, *Ant. Acad. ſuppl.* 14. §. 1. GUIL. GROTIUM *de vit. Juriſconſ. lib.* 2. *cap.* 6. §. 4. PANZIROLUM, *de clar. leg. interp. lib.* 1. *cap.* 86. HEINECCIUM, *Antiq. Rom. ad Inſt. lib.* 1. *tit.* 25. §. 22. Nec non de ipſa longe olim celeberrima urbe *Beryto* STEP. BYZANTINUM, *ad voc.* Βηρυτὸς, & ibi BERKELII *not.* STRABONEM, *lib.* 16. *p.* 1096. *edit. Almelov.* SCALIGERI *animadv. in Euſebii Chron. p.* 171. CELLARII *Geograp. antiq. lib.* 3. *cap.* 12. §. 89. SPANHEMIUM *de præſt. numism. p. m.* 878. HOFMANNI *Lex. ad voc. Berytus* : & inprimis JOH. STRAUCHII *diſſert. de Beryto.*

§. X. Præter memoratas ſcholas & aliæ quidem floruerunt

in

in provinciis, & in plerisque civitatibus honoratioribus, quæ ab HEINECCIO recenſentur, *d. l.* in quibus tamen non niſi Rhetores atque Grammatici utriusque linguæ, & forſan etiam Philoſophi, publico ſalario videntur docuiſſe. Nam Jus Romanum nullibi licitum erat publice doceri, quam Romæ, Conſtantinopoli, & Beryti. Ita ſancivit Juſtinianus, *Conſt. omnem reip.* §. 7. *ad Anteceſſ. Hæc autem tria volumina a nobis compoſita tradi eis tam in regiis Urbibus*, (Romæ ſcilicet, & Conſtantinopoli) *quam in Berytienſium pulcherrima civitate, quam & legum nutricem bene quis appellet; tantummodo volumus, quod jam & a retro Principibus conſtitutum eſt, & non in aliis locis, quæ a majoribus tale non meruerint privilegium.* Proinde præter tres ſcholas memoratas nulla alia, in toto orbe Romano, jura docendi privilegio munita erat; nec ipſæ etiam celeberrimæ Alexandrina & Cæſarienſes ſcholæ, quibus nominatim *dict. Conſt.* leges docere, vel juris Anteceſſores habere eſt vetitum. Ad modum autem & ordinem quod attinet jura tradendi, qui in tribus illis Juridicis ſcholis eſſet obſervandus, de eo ita inſtituit Juſtinianus, §. 2. *& ſeqq. ejusd. Conſt.* ut per quinquennium Juri incumberetur; ſimulque præſcripſit, quid ſingulis annis explicaretur. Confer PANZIROLUM *de Clar. leg. interp. lib.* 1. *p.* 86. & HEINECCIUM *Ant. Rom. ad Inſt. proœm.* §. 45. Nec cuidam, niſi quinquennali illo Juris curſu legitime peracto Advocatorum conſortio ſociari licitum erat, *L.* 3. §. 4. & *L.* 5. §. 4. *C. de Advoc. diverſ. Judicum. Nec de cætero quemquam, antequam per ſtatuta tempora legum eruditioni noſcatur inhæſiſſe, ſupradicto conſortio ſociari.* Et olim quidem imperante Diocletiano, adoleſcentibus in Berytienſi ſchola usque ad viceſimum quintum ætatis annum ſtudiis operam dare integrum erat, *L.* 1. *C. Qui ætate vel prof. ſe excus.* Ad quod ſtudiorum ſpatium ſeu tempus etiam pertinere Alexandri Severi legem, quæ eſt *L.* 2. *C. de incolis, &c.* oſtendit GOTHOFREDUS *ad L.* 1. *Cod. Theod. de ſtud. lib. urb. Rom.* Sed hoc conſtitutum tempus mutatum dein a Valentiniano, qui dicta *L.* 1. ſtudiorum metam ad viginti annos contraxit *His ſane*, jubet, *qui ſedulo operam profeſſionibus navant, usque ad viceſimum ætatis ſuæ annum Romæ liceat commorari: Poſt id vero tempus, qui neglexerit ſponte remeari, ſollicitudine Præfecturæ, etiam impurius, ad patriam revertatur.* Viſum enim id tempus ſufficere ad ſtudiorum curſum peragendum, vel abſolvendum, ut loquuntur; & ne ſtudiorum obtentu

tu diutius a patria abessent, ejusque munera defugerent, quo hæc quoque Lex respicit. *Neque mirum*, scribit GOTHOFREDUS *ad d. L. hac Valentiniani lege studiorum cursui absolvendo vicesimum ætatis annum poni, quia juventus Romana ancillaribus jam artibus domi ab ineunte ætate affatim instructa, majoribus disciplinis addiscendis ad Accademias mittebatur, cum ad primores artes illas probe adsequendas multo tempore magnoque labore & morositate opus est. Ut proinde hodie non statim vicesimus annus studiis absolvendis poni debeat hujus Legis argumento.* Atque eo minus quidem, quod constat, dictam Legem Valentiniani postea non observatam, nec in Cod. Justin. relatam fuisse. *Quod forte mecum miremini*, (inquit CONRINGIUS, *in peculiari Dissert. ad eandem Legem p. 3. & seq.*) *Imo nihil, quod istuc faciat, in omni illo nostro sacro Juris Romani Corpore reperire est: quamvis & Tribonianus fuerit studiis liberalibus, uti ferunt, apprime addictus, & illius in conficiendo Corpore istoc adjutores partim ex Constantinopolitana, partim ex Berytiensi, Romani juris celeberrimis tunc scholis, prodierint. Ea tamen est res, qua de agit Lex isthæc, ut prudens legislator neutiquam contemnere, aut negligenter curare eam sive velit sive possit.* Continet enim præstantissimas leges seu institutiones Academicas, dignas omnino, quæ etiam hac nostra ætate ubicumque a doctoribus scholaribusque probe observarentur; quæque Valentiniani senioris enixam studiorum ac studiosorum curam & sollicitudinem clarissime ostendunt. Utinam vero omnes, penes quos est Imperium salusque Reipublicæ, hujus Principis laudabile institutum, nec non Justiniani *in* §. *ult. prœm. Inst.* in perpetuum sedula imitatione assequerentur! Sic nemo facile lauream Doctoralem sibi debitam acciperet, nisi qui æqui & recti aliarumque scientiarum probe peritus, a suppostitii fœtus seu operis injuria se apud omnes vindicare etiam posset. Confer H. JUNII *Animadvers. lib. 5. cap.* 21. Nec locus esset unquam querendi cum J. L. VIVE *de caus. corrupt. art. lib.* 1. *p. m.* 104. Quod scholarum regimen quæstuosa res facta fuerit.

§. XI. Ex omnibus quæ dicta sunt, prorsus nunc liquet, per hos, qui in nostra L. *Doctores legum* appellantur, eosdem illos juris Professores designiri, qui in juridicis scholis, Romæ, Constantinopoli, & Beryti jus publice docebant: atque octo tantum numero erant, tempore Justiniani, ut supra §. 9. ostensum. Verum quidem est, Jus Romanum discentibus ubique in civitatibus & provinciis traditum fuisse atque expositum ab e-

jusmodi *Doctoribus*, qui illud non nisi in privatis docebant scholis, nec publice eò conductis: eodem modo, ac fieri etiam ab aliarum artium scientiarumque Præceptoribus solebat, qui in privatis ædibus, absque publica auctoritate vel salario, discipulos erudiebant: quod Constantinopoli in more fuisse constat ex *L.* 3. *C. Theod. de stud. lib. urb. Rom.* ubi diserte constituitur: *Illos vero, qui intra plurimorum domus eadem exercere privatim studia consueverunt, si ipsis tantummodo discipulis vacare maluerint, quos intra parietes domesticos docent, nulla hujusmodi interminatione prohibemus.* Nec aliter quocunque in loco consuetudine introductum erat. Inde & servis quoque ac libertinis olim jus privatim docendi data fuit potestas. Sic ASTERIUS, Amasiæ episcopus circa an. Chr. 400. *homil.* 7. *in servum Centurionis, quem Dominus sanavit*, apud PHOTIUM *Bibliot. cod.* 271. *p.* 1499. scribit de servo quodam Scytha, empto a quodam cive Antiocheno: *Vidi Scytham nuper adolescentiam ingressum celerius Græcam linguam addiscentem. Deinde cum Dominus liberalibus illum studiis informaret, tantum ille profecit, & omnes artes addidicit, ut & Græcis & Romanis inclaresceret:* ἐπειδὴ καὶ νόμων ἀφθη διδάσκαλος, *nam & leges* (seu *jurisprudentiam*) *professus est.* Quo & CLAUDII MAMERTINI de collapsa jam ante Julianum Imp. Jurisprudentiæ dignitate referenda est querela, in Panegyrica *pro Consulatu gratiarum actione*, *cap.* 20. *Juris civilis scientia*, inquit, *quæ Manlios, Scævolas, Servios in amplissimum gradum dignitatis evexerit, libertorum artificium dicebatur.* Confer. & GOTHOFREDUM *ad L. un. C. Th. de resp. prudent.* Verum enim vero vulgares isti *Doctores legum* cum nostris, qui publica auctoritate in illis tribus juridicis Romanorum scholis erant constituti, nullo modo sunt confundendi. Privatim equidem seu intra domesticos parietes unius tantum familiæ liberos docere illis concessum erat, aut privatos Præceptores agere: nequaquam verò leges docere in auditoriis publicis. Quamobrem nec immunitatibus muniti, nec mercedibus publicis conducti erant. Diserte autem. *L.* 6. §. 12. *ff. de excusat.* hoc discrimen inter publicos & privatos *Doctores legum* observatur: *Legum vero Doctores in aliquo præsidatu docentes, remissionem non habebunt: Romæ autem docentes, a tutela & cura remittuntur.* Nec immerito magnæ occurrunt ubique legitimorum juris Antecessorum querelæ in hujusmodi gregarios Præceptores, circitores & periodeutas quoque, qui locis nonnullis Jurisprudentiam caupo-

nan-

nantes, disputantes, & Academias & Auditoria desolavere.

§. XII. Ad propositum verò ut revertamur. Publici nostri Juris Professores hîc *Doctores legum* dicuntur, id est juris seu jurisprudentiæ: *Leges* enim pro *Jure* poni, quod legibus comprehenditur ac circumscribitur, omnibus cognitum est. Et quoniam quidem Præceptoris officium est docere, inde *Doctores* dicuntur, qui aliquam artem vel scientiam docent, ejusque præceptis alios erudiunt. Sic apud CICERONEM, *lib.* 3. *de Orat. cap.* 15. *Doctores* ac *Præceptores* conjunguntur. & *lib.* 7. *Epist.* 19. *Num jus civile vestrum ex libris cognosci potest? qui quamquam plurimi sunt, Doctorem tamen, unumque desiderant*: & sæpius alibi. Apud GELLIUM, *lib.* 13. *cap.* 21. *T. Castricius Rhetoricæ disciplinæ Doctor* vocatur. Vide & *lib.* 18. *cap.* 2. PERSIUS, *sat.* 6. *v.* 38.

—— —— —— *Et Bestius urget*
Doctores Grajos.

PLINIUS *in Paneg. cap.* 47. *Quem honorem dicendi Magistris? quam dignationem sapientiæ Doctoribus habes?* Sic & ipsi Poëtæ *Doctores* quoque dicti. HARPOCRATION scribit ad voc. διδάσκαλος, Poëtas Dithyrambicos, Comicos, Tragicos vocari διδασκάλους, *Doctores.* Qua de re plura vide apud BULENGERUM *de Theatro*, *lib.* 1. *cap.* 5. & in CASAUBONI *Animadvers. in Athenæum*, *lib.* 6. *cap.* 7. Unde apud Latinos, *docere fabulam.* Legitur etiam in veteri saxo *Doctor Cohortis* pro Armidoctore vel Campidoctore: & in alia Inscript. Romæ *Doctor Sagittarius*, vel *Sagittariorum*, qui milites in sagittandi arte edocebat, apud SPONIUM, *in Miscel. erud. ant. sect.* 7. *p.* 256. & *in Itiner. par.* 3. *p.* 36. Nec non *Doctor librarius*, qui artem libros componendi & consuendi aliquem docet, in REINESII *inscript. clas.* 11. *num.* 123. Plura exhibent loca FABREITUS *in inscript. antiq. cap.* 3. *p.* 234. PITISCUS *in Lex. ant. Rom. ad voc. Doctor.* & STEPHANUS *in Thes. ling. Lat. tom.* 2. *ad eand. voc.* e quibus omnibus liquet, *Doctoris* nomen late patens atque Jurisperitis commune esse cum cunctis aliarum artium seu disciplinarum Præceptoribus. Quamobrem nec alio sensu in Rubrica hujus Dissertationis a nobis adhibetur quoque, licet quidem in libris juris pro Jurisprudentiæ vel *legum Doctoribus* speciatim accipi soleat.

§. XIII. Eorum autem, qui Juris peritiam profitebantur, aliosque hanc fcientiam publice docebant, varia erant nomina. *Doctores legum* etiam dicuntur, *cit. L. 6. §. 12. π. de excufat.* & *legum Profeffores*, *Conft. omnem reip. §. 10. ad Antecefſores. Juris civilis Profeffores*, *L. 1. §. 5. ff. de extraord. cognit.* Simpliciter *Doctores*, *L. 7. C. de Prof. & Med.* & *Jurifperiti Doctores*, *L. 11. §. 1. C. de Advocat. diverf. Judicior.* Vocantur & folum *Jurifperiti*, *L. un. C. de Prof. qui in urbe &c.* & *L. un. C. Th. eod.* & *Praeceptores*, *L. 32. ff. de damno infecto.* & *qui Juris ac Legum formulas pandunt*, *L. 3. C. Th. de Stud. liber. &c.* ubi Tribonianus nimia fuperftitione, loco *formulas* repofuit *voluntates*, *L. un. C. eod.* Quinimo quafi docendo præeuntes, & *Antecefſores* appellati, *laud. conftit. ad octo Antecefſores.* & §. 3. *procem. Inftit.* ubi DION. GOTHOFRED. adnotat: *quod verbum* (προηγέμενον, fcilicet, *Antecefſorem*, ut vetus Gloffarius interpretatur) *Tertulliani ætate pro Doctoribus & Magiftris ufurpari cœpit: hic pro Juris Profeffore fumitur.* Confer PANZIROLUM *de clar. leg. interp. lib. 1. cap. 86.* & illuftr. BYNCKERSHOEK, *obferv. jur. Rom. lib. 6. cap. 3. Antecefſores*, inquit, *dicti, qui Leges docent, &c. ut a* CUJACIO *jam animadverfum eft, lib. 12. Obferv. cap. 40. poft quem nemo amplius cum* ALCIATO *lib. 3. Difpunct. cap. 12. dubitabit de fignificatione illius verbi in eam fententiam.* Verum quod CUJACIUS vult, *lib. 7. Obferv. cap. 25.* Juris Profeffores feu Antecefſores *Studiofos Juris* quoque nuncupari *in L. 4. ff. de extr. cognit.* ubi D. Pius refcripfit, *Juris ftudiofos, qui falaria petebant, hæc exigere poffe*, id ampliff. Præfes, *d. l.* ut perfecte ineptum, pluribus refellit. *Magiftros* quoque vocatos liquet ex §. 1. *conftit. omnem reip. ad Antecefſ. L. 2. §. 9. C. de vet. jur. enucl.* ut & *L. 19. §. 2. ff. de recept. L. 57. pr. ff. de V. S.* ubi additur, *cujuflibet difciplinæ Præceptores Magiftros appellari a monendo vel monftrando.* Sed quod feftiva potius eft allufio, quam vera originatio. Vide WISSENBACH. *ad h. tit. difp.* 18. & MATTH. STEPHANUM *de Nobilit. lib. 2. §. 14. & feqq. p. 287. & feqq.* In Athalarici epift. ad fenat. urb. Romæ, apud CASSIODORUM, *lib. 9. ep. 21. Juris expofitores* nominantur. Num vero & *Jurifconfulti* proprie dicti, id aliis inquirendum relinquimus, dummodo nobis hæc fufficiant.

CA-

CAPUT OCTAVUM.

De Doctorum Privilegiis.

§. I.

Ad Privilegia nunc progrediamur, quæ toti Doctorum seu Professorum ordini, honoris ergo, atque in commodum studiorum, sedulo sunt concessa. Videtur enim Lex vel Constitutio nostra optimo jure Doctorum Privilegium posse appellari. Quamvis autem Privilegia olim sæpius dicerentur, quæ de singulis hominibus ferebantur, & magis erant unius personæ, quam causæ; nonnunquam tamen Privilegium veteres quoque appellant, quod est causæ magis quam personæ: nec de uno aliquo homine, sed de certo potius quodam hominum ordine fertur: cujusmodi Privilegia in libris juris multa commemorantur, ac plerumque Jura singularia appellantur, utpote quæ in certæ causæ seu ordinis gratiam favoremve sunt collata. Vide BALDUINUM, *in Constantino M. lib.* 2. *p.* 126. Verum equidem est, ut *idem Auctor* ait, *Privilegiis nihil esse injustius, nihilque in Republica perniciosius, nisi si & justa eorum causa sit; & justus sit modus. Sed ubi hæc sunt, nihil est æquius, nihil utilius.* Neque verò hujusmodi Privilegia privant Legem, ut ACCURSIUS putavit, cui vera juris principia fuere incognita; quin imo supplent illam magis ea in parte, ad quam communis regula porrigi nequit, salva justitia & æquitate. Confer *Lexicon Jurid. edit. Genev.* 1615. *in* 8vo. quod Lexicon studiosis juris magnopere inprimis commendatur a STRUVIO, *in Biblioth. jur. selecta, cap.* 10. §. 6. *p. m.* 362. Omne autem Privilegium, quod propter aliquam utilitatem conceditur, privatam non solum, sed & publicam atque communem, pro vera & justissima Legis parte ubique jure habendum. Salus enim Reipublicæ, vel omne quod in communem civium utilitatem vere tendit, summus Legis finis est. Inde PAULUS, *L.* 16. *ff. de legibus &c.* Jus singulare ita definit, *quod contra tenorem rationis, propter aliquam utilitatem, auctoritate constituentium introductum est.* Quotiescunque

igitur de Privilegio alicui privato, vel corpori, ordini, seu universitati conferendo tractatur, ante omnia tunc perpendendum est, num vera versetur utilitas, non ejus tantum cui concederetur, sed quæ in publicum inde quoque sit reditura: adeo ut illa cessante, cessare & Privilegium oporteat. Sic Theodosius jun. & Valentinianus Impp. aiunt *L. 5. C. de advocat. div. judicior.* quicquid animi largitate, & munificentia Principali præstiterint togatis per Orientem eminentissimæ præfecturæ, illud *reverentia Studiorum* a semet ipsis factum fuisse. Et profecto hæc utilitas, quæ ex Studiorum cultura in Rempublicam prorsus redundat, justissima, si ulla existere potest, causa est juris alicujus & beneficii singularis. Quamobrem nec Centuriatis quibusdam comitiis opus fuisse, quum aliquo privilegio ornandus Literatorum hominum ordo esset, & Literarum collegiis facile id fuisse concessum, constat ex *L. 1. C. de decret. Decur.* ubi ita rescripserunt Diocletianus & Maximianus Impp. *Exceptis, qui liberalium Studiorum antistites sunt, & qui Medendi cura funguntur, Decurionum decreto immunitas nemini tribui potest.* Et Ulpianus *L. 4. §. 2. ff. de decret. ab ord. Sed etsi salarium alicui Decuriones decreverint, decretum id nonnunquam ullius erit momenti: ut puta si ob liberalem artem fuerit constitutum, vel ob Medicinam. Ob has enim causas licet constitui salaria.* Vide Balduinum, *l. c.* Inde Constantinus M. qui Constantinopolim hominum multitudine frequentari omnino cupiebat, Studiis quoque literarumque Professione eam urbem fundare instituit. Quapropter & inter alia Medicorum Professorumque immunitatem sancitum ivit, quo facilius illi multos instituerent. Eodem modo ac Julius Cæsar, qui teste Suetonio, *in ejus vita, cap. 42.* ut exhaustæ Urbis frequentia suppeteret, *omnes medicinam Romæ professos, & liberalium artium Doctores, quo libentius & ipsi Urbem incolerent, & ceteri adpeterent, civitate donavit.* Confer Gothofredum, *ad L. 3. C. Th. de Med. & Prof.*

§. II. Operam jam dabimus, quam maxime poterimus, ut brevi a nobis illustrentur ipsa Privilegia, quæ bonarum artium literarumque Doctoribus tribuit nostra Lex; quæque consistunt vel in Immunitate, vel in aliqua fori Præscriptione, vel in Salario. Ad Immunitatem quod attinet, conceditur iis primo immunitas seu libertas *ab omni Functione.* Per *Functionem* hîc intelligitur exsolutio Tributorum, vel Vectigalium. *Fungi* enim

est

eſt id, quod debetur dare. Nam proprie *Fungi* ſtipendiarii aut vectigales dicuntur, qui quod debebant, pendebant. Sic CICERO *in Verrem*, *lib.* 3. *cap.* 16. *Quis non maximo ſe affectum beneficio putavit, cum tribus decumis pro una defungeretur?* Unde & in Impp. Conſtitutionibus intributiones & collationes aliquando hac appellatione veniunt. Vide BRISSONIUM *de V. S. lib.* 6. *p.* 380. AUREL. VICTOR *de Cæſar. cap.* 39. §. 31. *Hinc denique*, inquit, *parti Italiæ invectum Tributorum ingens malum. Nam cum omnis eadem Functione, moderataque ageret*, &c. Ubi *Functio* eſt annona quam conferebat tota Italia ad exercitum comitatumque Imperatoris alendum; qui ſemper aut maxima parte aderat: quæque *annonaria Functio* appellatur, *L.* 4. *C. Th. de indulg. debit.* &c. Unde *annonaria Regio* apud TREBEL. POLLIONEM, *in Tetrico*, *p. m.* 315. ubi confer erud. SALMASII not. Apud CASSIODORUM, *lib.* 5. *epiſt.* 39. vocantur *publicæ Functiones.* Ita ibi Theodoricus Rex: *Sed ut totius fraudis abrogetur occaſio, ad libram cubiculi noſtri, quæ vobis in præſenti data eſt, univerſas Functiones publicas jubemus inferri.* Ab hac autem *Functione* datur Doctoribus immunitas, & omnis omnino quidem; jubentur enim immunes eſſe *ab omni Functione*, id eſt, ab omni Functionis genere: quod diſerte confirmatur *L.* 2. 15. 16. & 19. *C. Theod. de Med. & Prof.* ubi & ab omni ſenatoria & glebali conlatione ac deſcriptione, nec non ab omni auri, argenti & equorum præſtatione, immunes pronunciantur. Confer LAMPIUM *de hon. &c. Medic*, *cap.* 3. §. 92. *p.* 284. Verum etſi beneficia Principum latiſſime etiam nos interpretari debere dicunt Juriſconſulti; non dubitandum tamen, quin verba Legis plane reſtringenda ſint, non ſolum ad rationem *rerum*, ut additur, *quas in civitatibus ſuis poſſident*: ſed etiam ad ſolas ordinarias *Functiones*, Vide STRUVII *ſynt. Juriſp. exerc.* 50. *Th.* 74. Extraordinaria autem munera ſeu functiones utique ſubire tenentur. *L.* 1. *C. de indict.* & *L.* 1. *C. ut nemini lic. in empt. ſpecier. ſe excus.* ubi ita conſtituitur ab Anaſtaſio Imp. *Quotiens urgente neceſſitate comparationes frumenti vel olei, aliarumque ſpecierum, quibuſlibet provinciis indicuntur, nulli penitus poſſidentium ſeſe ſub cujuſcunque privilegii occaſione excuſandi tribui facultatem cenſemus*, &c. Neceſſitas enim nullum Privilegio concedit locum, nec ipſam Legem reſpicit. Unde & in ſumma neceſſitate, ubi omnes facile intelligunt, tributa, ſi ſalvi eſſe cupiant, conferri debere, quantumvis privilegio

mu-

muniti, ab hac collatione haud ſunt immunes, per *L.* 1. *&* 3. *C. de quib. mun. vel præſt. nem. ſe lic. exc.* Confer LAMPIUM *l. c. p.* 285. Verum hiſce exceptis, ab omni ordinaria *Functione* vel tributo, cui alii cives obnoxii erant, Doctoribus noſtris, artium ſtudiorumque gratia, plena immunitas largitur. Nec iis ſolum, ſed etiam eorum Uxoribus & Liberis, utpote qui & nominatim memorantur. *Una*, ait Legiſlator, *cum Uxoribus & Filiis, nec non & rebus, quas in civitatibus ſuis poſſident.* (Confer & *L.* 2. 3. 10. *&* 16. *C. Theod. de Med. & Prof.* & *L. ult. C. eod.*) adeo ut omnem omnino Immunitatem illis donare videatur ab omnibus ordinariis tributis, una cum Familiis ac Poſſeſſionibus. Atque hæc ſufficere poſſunt ad probe intelligendum, quam dignum & utile Viris literatis ac docentibus ejusmodi Immunitatis fuerit Privilegium.

§. III. Præterea excuſantur in noſtra Lege *ab omnibus Muneribus, vel civilibus vel publicis.* Hanc Privilegii partem late quoque eſſe ſumendam, ex adjectivo *omnibus* liquidum eſt. Datur equidem Doctoribus plena immunitas *ab omnibus* omnino Muneribus, quibus alii cives obſtricti erant. Nec eſt quod miris immoremur Jurisconſultorum conflictibus, num detur inter Munus *civile*, vel *publicum* vera aliqua differentia: quando ſatis conſtat, unum idemque Munus, ex. gr. tutelam & curam, ſeu civile ſeu publicum in jure nuncupari. Confer CALVINI *lex. jur. ad voc. Munus.* Notum autem eſt, ARCADIUM CHARISIUM, in libro ſingulari de Muneribus & Honoribus, cujus fragmentum in *L.* 18. *ff. de mun. & hon.* ſervatum eſt, triplicem Munerum civilium ſtatuiſſe diviſionem, quorum quædam perſonalia, alia patrimonialia ſeu patrimoniorum, alia mixta ſint. Perſonale eſt, quod abſque patrimonii ſumptu ſolam perſonæ induſtriam deſiderat, *L.* 1. §. 3. *& ſeq. eod.* Patrimoniale, quod impenſam patrimonii, non perſonæ induſtriam requirit, *ibid.* & *L.* 3. §. 14. *eod.* Mixtum, quod induſtriam ſimul & patrimonii impenſam poſtulat, *L.* 18. §. 26. *eod.* Attamen ipſe CHARISIUS diſerte fatetur, *d. l.* 18. §. 28. *Hæc omnia Munera, quæ trifariam diviſimus, una ſignificatione comprehenduntur. Nam perſonalia, & patrimoniorum, & mixta Munera, civilia ſeu publica appellantur.* Eorum omnium verò Immunitas in noſtra Lege Doctoribus pleniſſime tribuitur: ut & *d. L.* 18. §. *ult. de mun. & hon. Magiſtris, qui civilium Munerum vacationem habent, item Grammaticis, & Oratoribus, & Medicis, & Philo-*

sophis, ne hospitem reciperent, a Principibus fuisse immunitatem indultam, & D. Vespasianus, & D. Hadrianus rescripserunt. Ubi CUJACIUS recte admonet, *in com. ad L. 6. §. 1. & seqq. ff. de excusat.* pro *item* legendum esse *id est.* Confer *L. 6.* §. 1 & 2. *ff. de excusat.* & *L. 2. 3. & 4. C. Theod. de Med. & Prof.* ubi quædam Munera nominatim exprimuntur, de quibus vide GOTHOFREDUM. Quoniam autem cum a publicis Muneribus vacatio generaliter dari dicitur, sæpius id intelligi solet de personalibus: & patrimoniorum Munera, præsertim ordinaria, non temere cuiquam remittuntur; ac ne Pontificem quidem ab iis excusari, in Pandectis legimus, *cit. L. 18. §. 24. de mun. & hon.* inde in dubium a nonnullis vocatur, num artium literarumque Doctoribus patrimonialium æque ac personalium Munerum remissio fuerit concessa. Sunt qui hîc negantium partes tuentur, inter quos NÆVIUS *select. jus concern. ad nostr. L. 6.* & BOOT *Differt. de Privil. Med. cap.* 11. §. 12. Confer LAMPIUM *de hon. &c. Med. cap.* 3. §. 91. *p.* 282. Medias partes tenet GOTHOFREDUS, qui existimat ad *L. 1. C. Th. de Med. & Prof.* hanc patrimonialium Munerum immunitatem iis nec datam fuisse ante Constantinum M. at primò ab illo sancitam. Verum enim vero ubi species immunitatum indubie patrimonialium, quas mox percensebimus, Constantini M. ævo longe antiquiores, probe reputentur, certum nobis videtur atque clarum, omnium horum Munerum, nimirum ordinariorum, vacationem ipsis quoque olim fuisse concessam. Quod pluribus confirmatum vide apud LAMPIUM, *d. l.* Quinimo & ipse Imp. Constantinus M. illud diserte asseverare videtur, *L. 3. C. Theod. de Med. & Prof.* dum Constitutionem suam exemplo priorum Principum ita munire ac commodare placuit: *Beneficia Divorum retro Principum confirmantes, Medicos & Professores litterarum, uxores etiam & filios eorum, ab omni Functione, & ab omnibus Muneribus publicis vacare præcipimus, &c.* ubi quæ D. D. Vespasianus & Hadrianus rescripserunt, *cit. L.* 18. §. *ult. ff. de mun. & hon.* respicit. Hadrianus quippe mox ingrediens Principatum, illis constitutione existentes Honores & Immunitates firmavit, ut est in capitulo ex epistola D. Pii, quod refertur *in L. 6. §. 8. ff. de excusat.* in quo § multa Munera nominatim exponuntur, a quibus Philosophi, Rhetores, Grammatici & Medici vacationem jam habebant: ac digna sane illa, quæ hîc summatim a nobis percenseantur.

N §. IV.

§. IV. Verum antequam eo progredi commode liceat, notandum hanc MODESTINI Legem Græce esse conscriptam; atque multis in locis nullo partim sensu, partim sensu mutilo & hiante versam esse a BERGUNTIONE Jurisconsulto quodam Pisano, Glossatore antiquo, de quo vide ALBER. GENTILIS *dialog.* 3. *apud* PANZIROLUM *de clar. leg. interp. p. m.* 594. Hic omnes Græcas leges, Pandectarum æque ac Novellarum, Latinas reddidisse videtur verisimile, verum satis passim inepte: quorsum & interpretatio *d.* §. 8. præcipue pertinet, cujus verba nullum fere sensum habent: unde Græcus contextus nobis sequendus potius. Immunes autem jam ante Hadriani ævum artium ac litterarum Doctores erant, (1) γυμνασιαρχιῶν, id est, *Gymnasii præfecturarum.* γυμνασιαρχία est præfectura Gymnasii: & γυμνασιάρχης vel γυμνασίαρχος, Latinis *Gymnasiarchus*, fuit Gymnasii præfectus, qui exercitio palæstrico cum sumptu aliquo præerat; seu cujus munus erat toti Gymnasio præesse, & veluti princeps quidam omnia moderari, tempus & horas præscribere, ordinem ponere, & alia denique, quæ ad artium & locorum publicorum principes spectant, sedulo curare. Vide MERCURIALEM *de arte Gymn. lib.* 1. *cap.* 12. *p. m.* 90. Apud CICERONEM, *lib.* 4. *in Verrem*, *cap.* 42. *Demoliendum curavit Democritus Gymnasiarchus, quod is eo loco præerat.* Plura de hoc munere vide apud SALMUTH. *in not. ad* PANZIROLL. *rer. memorab. par.* 1. *tit.* 26. PITISCI *Lex. Ant. Rom. tom.* 1. *ad voc. Gymnasiarcha.* AUGUSTINUM *ad Modestin.* in OTTONIS *Thes. Jur. Rom. tom.* 4. *p.* 1575. LAMPIUM *de hon. &c. Med. cap.* 3. §. 89. *p.* 280. Ad hanc *Gymnasiarchiam* spectabat quoque *Xystarcha*, qui ex sententia MERCURIALIS, *d. l.* in Gymnasiorum præfectura secundum locum tenebat, quique ambobus xystis, stadio, & denique cunctis athletarum exercitationibus præerat. Putat tamen CUJACIUS, *ad cit. L.* 6. §. 8. *π. de excus. Xystarcham* seu *Xystarchen* eundem esse ac *Gymnasiarchus.* Confer & OCT. FALCONERII *not. ad Inscript. Athlet. in tom.* 8. GRÆVII *Thes. Ant. Græc. p.* 2307. *& seqq.* (2) Immunes etiam erant Ἀγορανομιῶν, *Ædilitatum.* Ἀγορανόμος est Magistratus, qui foro rerum venalium præest. Vide ARISTOPHANEM *in Acharn. act.* 3. *scen.* 4. *V.* 824. Οἱ δὲ ἀγορανόμοι, *Heus præsides fori.* Ab his Ædilibus vendentium coercebatur rabies. De iis APULEJUS, *lib.* 1. *Metam.* §. 21. *Annonam curamus, ait, & ædilem gerimus.* De illorum orgine videndus LIPSIUS *in Elect.*

lib.

lib. 1. *cap.* 8. *p. m.* 663. *& seq.* Dicebantur etiam Ἀςυνόμοι, qui viarum ædificiorumque curam gerebant, & prospiciebant ne vel homines inter se, vel belluæ hominibus injuriam inferrent, utque in urbe & in suburbiis locis munda essent omnia. Confer *L.* 1. *ff. de via pub. & si quid in ea fact.* ubi ex libro singulari PAPINIANI officia Ædilium exponuntur. Ad hanc Ædilitatem municipalem spectaculorum, venationum, aliarumque rerum curam quoque pertinuisse ostendunt SIGONIUS, *de ant. jur. civ. Rom. lib.* 1. *cap.* 20. *p.* 226 *& seq.* & LANDUS, *Numism. vet. Rom. miscel. expl. in* ROBERTI *Miscel. Ital. erud. tom.* 1. *p.* 386. *&* 485. *& seq.* Ex dictis itaque abunde liquet, illud munus honorificum quidem, sicut & Gymnasiarchia & Sacerdotium, attamen & satis molestum fuisse; quippe quod multo plus oneris atque sumptus habebat. Vide CICERONEM, *lib.* 2. *de offic. cap.* 16 *&* 17. Unde eorum Honorum excusatio expeti sæpe ac dari solebat, *L.* 8. *pr. ff. de vacat. & excus. mun.* & *L.* 1. *C. quib. mun. excus. hi, &c.* (3) Immunitatem habebant porro Ἱερωσυνῶν, id est, *Sacerdotiorum*, videlicet provinciarum & municipiorum. Ἱερωσύνη proprie est *Sacerdotium.* Qui hoc munus adipiscebantur, ludis in honorem Deorum institutis erant præpositi cum sumptu aliquo: cujusmodi erant *Asiarchia*, seu Sacerdotium provinciæ in Asia: *Alytarchia*, *Bithyniarchia*, *Syriarchia*, &c. quæ Sacerdotia significant illarum provinciarum. Vide CUJACIUM *ad d. L.* 6. §. 8. *ff. de excus.* & *Lib.* 2. *Observ. cap.* 13. Confer. *L. unic.* §. 1. *π. ad L. Jul. de amb. L.* 17. *pr. de mun. & hon.* & *L.* 8. *pr. π. de vac. & excus. mun.* Ad hujus Sacerdotii vacationem, Adriano adhuc imperante, Favorinum juxta leges his de rebus latas provocasse, ut qui immunitate gauderet, quoniam Philosophiam profiteretur, auctor nobis est PHILOSTRATUS *de vit. Sophist. lib.* 1. *cap.* 8. §. 2. Splendidissimum equidem fuit munus, quo & Sophistæ olim functi sunt, ut docet WALCHIUS *de præm. vet. Sophist. &c.* §. 20 *&* 21. *in Parerg. Academ. p.* 151. *& seqq.* Fuitque munus patrimonii, ut rescribunt Impp. Dioclet. & Maximian. *L.* 8. *C. de mun. patrim. Nec Protostasiæ, vel Sacerdotii, vel Decaprotiæ munera corporalia sunt: sed tantum patrimonii esse non ambigitur.* (4) Præterea illis tribuitur immunitas Ἐπιςαθμιῶν, *Stabulationum*, vel *a Metatis.* Ἐπιςαθμεία, seu Ἐπιςαθμία, ab Ἐπιςαθμεύω *Stabulor alicubi*, significat *Stabulationem* aut *Diversationem:* quo vocabulo necessitas describitur hospites re-

cipiendi, vel hospitio recipiendi comitatum Principis aut legati. Quoniam vero hoc Privilegium diserte in nostra Lege commemoratur, idcirco de illo infra agendum. Tantum addimus, liberalium artium Professoribus, una cum immunitate a Metatis, remissionem tribui quoque ab Angariorum præstatione, *L.* 10. §. 2. *ff. de vac. & excus. mun.* ubi ex PAULI *lib.* 1. *Sentent.* ita statuitur: *Angariorum præstatio, & recipiendi hospitis necessitas, & militi & liberalium artium Professoribus inter cetera remissa sunt.* *Angaria*, ita dicta e Persico more & origine, proprie sunt equorum præstationes ad cursum publicum: de quo munere inspice CUJACIUM, *in comment. ad L. ult. C. de fabricens.* & *ad tit. Cod. de cursu pub. & angar. & parang.* & AUGUSTINUM *ad Modestinum*, *in* OTTONIS *Thes. jur. Rom. tom.* 4. *p.* 1575. (5) Σιτωνίας etiam, atque Ἐλαιωνίας immunitas iis concessa est. Σιτωνία est *frumenti emtio*, seu munus publicæ annonæ coëmendæ; a Σιτώνης, *frumenti emtor*, vel annonæ coëmendæ præfectus. Confer DUKERUM *de latin. Jurisconf. vet. p.* 406. Ἐλαιωνία indicat *olei emtionem*, a them. Ἐλαία, *olea*, *oliva*; unde Ἔλαιον, oleum. Hoc munus *Sitoniæ* vel *Elæoniæ* gerentibus cura emendi frumenti, vel olei nomine Reipublicæ erat imposita, quæ oleo egebat in palæstris, ubi ab athletis adhibebatur; atque ad alios usus. Vide CUJACIUM *ad d. L.* 6. §. 8. *de excus.* & CELLARII *Diss. Acad. par.* 1. *p.* 255 *& seq.* Etenim in publicis necessitatibus, quo tempore Romæ annonæ præfectos constituebant, *L.* 2. §. 33. *ff. de Orig. Jur.* emendo frumento Sitonæ creabantur, oleo Cleonæ. Sic *L. ult.* §. 5. *ff. de mun. & hon.* CHARISIUS inquit: *Cura quoque emendi frumenti, olei. Nam harum specierum curatores, quos* Σιτώνας *&* Ἐλαιώνας *appellant, creari moris est.* Et ULPIANUS *L.* 2. *ff. de vac. & exc. mun.* *Sextum*, inquit, *decimum ætatis annum agentem ad munus Sitoniæ vocari non oportet.* Recipiendum itaque hoc munus esse, nec nisi singulari privilegio alicui vel personæ vel ordini remitti, satis liquet ex *lib.* 10. *tit.* 27. *C. Ut nemini liceat in emptione specierum se excusare, & de munere Sitoniæ.* Confer AUGUSTINUM *ad Modestin. l. c.* (6) Remissio data illis insuper a munere *Judicandi* καὶ μήτε κρίνειν in Græcis; *& neque Judicare:* ἄκοντας scilicet, id est, *invitos* seu *nolentes*, ut mox additur. Sensus igitur est, ne Doctores artium ac literarum inviti *Judicandi* munus subire cogantur, quod alias & contra voluntatem injungi solebat. *Judicandi* enim *ne-*

ces-

cessitas inter munera personalia quoque habetur, *L. ult.* §. 14. *π. de mun. & hon.* & *L.* 13. §. 2. *de vac. & excus. mun. Qui autem non habet excusationem, etiam invitus Judicare cogitur.* Confer HEINNECCII *Ant. Rom. ad inst. lib.* 4. *tit.* 17. §. 3. & pleniſſime BUDÆUM *ad d. L. ult.* §. 14. *ff.* Hoc *Judicandi* munere fungebantur Judices dati a Prætore, & *Pedanei* dicti, *L* 3. §. 1. *ff. ne quis eum, qui in jus voc.* qui Prætori in consilio erant, & ad pedes tribunalis, vel ab inferioribus subselliis aſſidebant. Prætor enim ipsemet privatas causas Judicare non solebat, sed Judicem dare, qui nec jus dicebat, nec jurisdictionem habebat, sed notionem tantum, & cognoscendi judicandique facultatem, *L.* 5. *p. π. de re judic.* Vide VOET *ad tit. ff. de judic. &c. num.* 39. ubi veterem Judiciorum ordinem, & judicum dandorum morem exponit, atque Interpretes recenset, qui eandem rem tractarunt. (7) Quinimo & a *Legatione* atque *Militia* excusabantur: μήτε πρεσβεύειν, μήτε εἰς στρατείαν καταλέγεσθαι ἄκοντας: id eſt, ex AUGUSTINI interpretatione, *neque in Legationem ire, neque in Militiam conscribi invitos.* Ad *Legationem* quod attinet, inter tria *Legatorum* genera, quæ in jure noſtro reperiuntur, hîc proprie respici *Legatos municipales*, qui a municipiis vel civitatibus aut provinciis ad Principem mittebantur, cum mandatis publicis, nullum eſt dubium. De iis *L.* 24. §. 1. *D. de judic.* & *L.* 8. *ex quib. caus. maj.* ubi *Legati municipiorum* inſigniuntur. Medicis autem ac Profeſſoribus obire ejusmodi *Legationes* integrum quidem erat, inviti verò nequibant cogi. Sane Hadriani ævo Sophiſtas a civitatibus suis ad Imperatores Legatos miſſos, plurimis locis PHILOSTRATUS teſtatum reliquit, e quo varia exempla profert GOTHOFREDUS, *comment. ad L.* 1. *C. Th. de Med. & Prof.* Neque ab hoc *Legationis* munere tantum, sed & a *Militia* jubentur Doctores immunes eſſe, adeo ut nec ipſi ad eam comprehendi, per *L.* 3. & 10. *C. Theod. eod.* nec eorum liberi inviti trahi poſſent, per *L.* 16. *eod.* videlicet ut tirones in tirocinio Militiæ, quum illa tironum præbitio reliquis familiis urbanis indici soleret, per *L.* 7. *C. Th. de tiron.* Tirones enim, licet in numero nondum relati, lecti tamen ut militent, publicis expenſis iter faciebant, & sub campi Doctore exercebantur, *L.* 42. *de teſtam. mil.* quod moleſtum quibusdam fuiſſe, oſtendit *L.* 3. *C. de condict. ob turp. caus.* Hæc tironum præſtatio in patrimoniorum viribus magis, quam in perſonarum muneribus conlocatur, in *d. L.* 7.

C. Th. de tiron. & in *L.* 4. *C. de proxim. ſacr. ſcrin.* Verum *L.* 18. §. 3. *ff. de mun. & hon.* perſonæ munus habetur. Plura dabit GOTHOFREDUS *ad L.* 3. *&* 10. *C. Th. de Med. & Prof.*

§. V. Obſervandum porro cum CUJACIO *ad d. L. 6. de excuſ.* hæc Munera in *d.* §. 8. ſpecialiter ita recenſeri, quia eorum omnium fere vacatio competere non ſoleat, generaliter data Immunitate: ſicuti quoad Angariorum & Metati, ac Militiæ privilegia diſerte confirmatur per *L.* 11. *&* 13. §. 1. *ff. de vac. & excuſ. mun.* Iſte §. 8. denique hunc in modum concluditur: μὴ εἰς ἄλλην αὐτοῖς ὑπηρεσίαν ἐθνικὴν, ἤ τινα ἄλλην ἀναγκάζεσθαι: quæ recte ab AUGUSTINO transferuntur: *nullum denique provinciale, aliudve munus ſubire cogendos.* Ὑπηρεσίαν ἐθνικὴν vertit potius *provinciale munus*, ne ſi interpretaſſet per *gentile miniſterium*, ut Græca verba proprie ſonant, non ſatis quid diceret, intelligeretur. Generalis itaque & omnimoda vel pleniſſima hîc Doctoribus tribuitur Immunitas omnium omnino ſeu perſonalium ſeu patrimonii Munerum: nec aliud quidpiam Græcis illis verbis indicatur, quam quod in noſtra L. exponitur, *eos ab omnibus Muneribus vel civilibus vel publicis immunes eſſe.* Ratio quippe, cur ab univerſis Muneribus ita vacare permittitur ſcientiarum literarumque Profeſſoribus, non adeo diſpar eſt ab Artificibus, de quibus Conſtantinus Imp. conſtituit, *L.* 1. *C. de excuſ. art.* *eos ab univerſis Muneribus vacare: ſiquidem in diſcendis artibus otium ſit accommodandum: quo magis cupiant & ipſi peritiores fieri, & ſuos filios erudire.* Confer GOTHOFREDUM *ad eandem L. in C. Theod.* Quod etiam innuunt ultima noſtræ Legis verba: *quo facilius liberalibus ſtudiis & memoratis artibus multos inſtituant.* Et profecto quum pleræque Scientiæ ſublimes ſunt, atque alte reconditæ, in quarum magnitudinem cum ſe injicit animus & intendit, ita longe lateque peregrinatur, ut pene, quo inſiſtere poſſit, non inveniat: facile intelligimus, eo majore quiete otioque opus eſſe, quo magis a vulgi commerciis remota ſunt, in quibus felices illæ animæ occupantur. Qua de re legi omnino meretur MORHOFIUS, in elegantiſſ. Orat. *de Otio Sapientibus dando*, quæ exſtat inter ejus *Orationes*, *p.* 164. *& ſeqq.* Sic CICERO, *lib.* 1. *de Orat. cap.* 6. laudat *Græcos homines non ſolum ingenio, & doctrina, ſed etiam otio, ſtudioque abundantes.* Etenim in ſtudiis ac literis conſumebant illi omne tempus, quod alias civilibus atque publicis negotiis ſolet impendi. Quamobrem

obrem artium liberalium Magistros, studiorumque cultores, ab illis vel omnino vel maxima ex parte vacare, & per rationem fas est, & per leges licet. Quapropter justissima LIBANII querela, *Epist.* 296. *p. m* 144. de injuria cuidam Rhetori illata, qui coactus fuit *publicum munus subire*, *quod robustum corpus requirebat*. Nec tamen apud Græcos, de quibus mox diximus, Viris doctis ac de Republica bene meritis ἀτέλειαν τῶν λειτουργιῶν. *excusationem munerum* haud facile semper concessam fuisse, colligere est ex PETITI *Legib. Attic. lib.* 3. *tit.* 6. *p.* 380. *& seq. edit. Wesseling.*

§. VI. Verum enim vero ex postremis illis verbis dicti §. 8. quibus Doctores ab omni *provinciali aliove Munere* excusantur, MODESTINUS ibi colligit, Philosophos quoque habere immunitatem Tutelarum, cum tamen Tutelarum mentio non fiat, & cui datur immunitas generaliter, non censetur data Tutelarum. Sed cum Philosophi hîc conjunguntur Grammaticis, Rhetoribus, Sophistis & Medicis, quos constat Tutelarum vacationem habere per *L.* 6. §. 1. *ff. de excus.* & §. 15. *Instit. de excus. tutor.* inde verisimile est, postremis illis verbis generalibus voluisse Imperatorem, ut & Tutelis Philosophi vacarent. Confer CUJACIUM *ad d.* §. 8. Sicuti & PAULUS, §. 5. *ejusd. L.* 6. fertur scripsisse, *Philosophos vacare a tutela & cura.* Ad Legum vero Doctores quod attinet, hi olim excusatione a Tutela non æque gaudebant, nisi Romæ docentes, *L.* 6. §. 12. *de excusat.* aut qui in consilium Principis essent assumpti, *L.* 30. *pr. eod.* Verum in nostra Lege, ubi Medicis & Professoribus comparantur, una cum illis eandem immunitatem nanciscuntur *ab omnibus Muneribus vel civilibus vel publicis*; adeoque & a Tutelis, quarum plena vacatio procul dubio hîc includitur. Confer HEINECCII *Ant. Rom. ad inst. lib.* 1. *tit.* 25. §. 23. Nihilominus vero hoc privilegium ita limitandum videtur, ut Medici & literarum legumque Professores a Tutelis immunes essent, nisi a quodam collegarum Tutores constituerentur: quando se non posse excusare, prætorquam ob justam aliquam causam, videntur: ad instar veterani, qui ab alio veterano Tutor relictus, se excusare non poterat, *L.* 8. *pr. ff. de excus.*

§. VII. Præterea in nostra Lege Doctoribus licentia etiam datur ab onere recipiendi hospites: *& neque in provinciis hospites recipere.* Per *L.* 6. §. 8. *D. de excus.* de qua supra, Immu-

munitas illis tribuitur Ἐπιςαθμιῶν, quod cum BUDÆO, AUGUSTINO, CUJACIO, GOTHOFREDO aliisque vertendum *a Metatis*, id eſt, a Metati onere, ſeu ab onere hoſpites recipiendi; quod munus patrimonii fuit, non perſonæ, *L.* 3. §. 14. *π. de mun. & hon.* Sic apud CICERONEM *ad Atticum*, *lib.* 13. *epiſt. ult.* *Habes hoſpitium ſive* ἐπιςαθμίαν *odioſam*, *mihi*, *dixi*, *non moleſtam*. Longe autem aliter vocem Ἐπιςαθμίαν explicat PETITUS *in Miſcel. lib.* 4. *cap.* 1. ubi per *Statum* vertit, atque per eum Magiſtratum quendam vult intelligi, cujus cura forte fuerit περὶ Ἐπιςαθμίας: quo ſenſu Ἐπιςαθμιων ἀτέλεια, ſeu *immunitas a Metato*, proprie eſſet immunitas ab ejusmodi Magiſtratu. Verum quam conjecturam ut ineptam refutant GOTHOFREDUS, *ad L.* 3. *C. Th. de Med. & Prof.* & GRONOVIUS *de pecun. vet. lib.* 4. *cap.* 11. *p. m.* 328. Immunitas illa *a Metatis* procul dubio magni erat momenti, nec facile id Munus remitti ſolebat: adeo ut ſi cuidam & perſonalium & civilium Munerum vacatio conceſſa eſſet, ab Hoſpite tamen recipiendo non excuſaretur, per *L. ult.* §. 29. *ff. de mun. & hon.* & *L.* 3. *C. de mun. patrim.* Attamen jam olim Medicos & Profeſſores ab hoc munere liberos fuiſſe, probant *L.* 18. §. 30. *π. de mun. & hon.* & *L.* 10. §. 2. *de vac. & excuſ. mun.* Confer & *L.* 3. & 10. *C. Th. de Med. & Prof.* & *L.* 8. *C. de Metat.* Et profecto nimis acerbe & inhumaniter hoc Doctorum privilegio uſus eſt Polemon adverſus Antoninum, cum Proconſul Aſiæ eſſet: is enim quum in domum hujus Sophiſtæ ſe recepiſſet, ut quæ Smyrnenſium optima eſſet, & civium potentiſſimi; Polemon noctu redux ex itinere, ad limina exclamabat, ut qui vim pateretur, rebus ſuis prohibitus, atque inde Antoninum in aliam domum migrare coëgit; ut narrat PHILOSTRATUS *de vit. Sophiſt. lib.* 1. *cap.* 25. §. 3. Cujus rei meminit & ipſe Antoninus apud SUIDAM in voc. ἐφιέναι. Atque forte hujus incivilis facti memoria anſam præbuit *Legi* 2. *C. de quib. mun. vel præſt. nem. ſe lic. excuſ.* Ratio vero cur inter alias immunitates & hæc *a Metatis*, & quidem inprimis, Doctoribus data fuerit, in aperto ſatis eſt: ne videlicet ſtudia eorum Hoſpitum adventu ſæpius interpellarentur; atque ipſi impedirentur, quo minus alios literis & artibus inſtituerent. Confer GOTHOFREDI *com. ad L.* 3. *C. Th. de Med. & Prof.* Quod autem in noſtra Lege additur, *nec ullo fungi munere*, vel ita fit ex ſuperabundante, ut ſolent loqui, quo magis confir-

firmaretur, pleniſſimam & omnimodo perfectam Immunitatem hîc dari ab omni omnino Munere: vel reſpicit potius hoc additamento Legiſlator Munera Senatoria atque Curialia, aliaque, quæ in adminiſtranda Republica conſiſtebant, a quibus Medicis & Profeſſoribus ſeſe excuſandi data quoque eſt licentia, per *L.* 16. *&* 19. *C. Th. de Med. & Prof.* & *L.* 11. *C. eod.* Confer GOTHOFREDUM, *com. ad. L.* 10. *C. Th. de Prætor. & Quæſt.* Quinimo nec a *Muneribus* tantum, ſed & ab *Honoribus* plena illis conceſſa fuit immunitas, adeo ut ad eos capeſcendos cogi non poſſent. *Fungi eos Honoribus volentes permittimus, invitos non cogimus*, inquit Imp. Conſtantinus *L.* 1. *C. Th. de Med. & Prof.* quamquam Tribonianus hæc verba in noſtra *L.* omiſerit. Fuit autem illud ſpeciale Medicorum Profeſſorumque privilegium, quorum erat explorare & judicare, num ſedula & aſſidua cura, quam Profeſſionibus ſuis, ſeu juventutis inſtitutioni debebant, ſibi permitteret etiam Honores in civitatibus ſuis ſuſtinere, qui non ideo illos a propoſito inſtitutoque vitæ abducturi eſſent. At non idem de aliis recte dicendum: nam alioquin Munus quamlibet publicum ſuſtinenti Honor deferri poteſt, *L.* 10. *π. de mun. & hon.* Confer GOTHOFREDUM *ad L.* 1. *C. Th. de Med. & Prof.* Atque ita Privilegii partem, quæ latiſſimam Doctorum Immunitatem comprehendit, pro noſtri inſtituti ratione ſatis expoſitam exiſtimamus.

§. VIII. Sequitur nunc altera pars, quæ in Fori aliquâ Præſcriptione conſiſtit, & ita circumſcribitur: *nec ad judicium deduci*, (*nec*) *eximi*, *vel exhiberi*, *vel injuriam pati*: *ut ſi quis eos vexaverit*, *pœna arbitrio judicis plectatur.* Quæ verba non parum obſcura, adeoque difficilia explicatu, varie a variis interpretantur. CUJACIUS putat *in comment. ad noſtram L.* Doctoribus hîc permitti, ut per Procuratores cauſas ſuas in judiciis agere poſſent. Verum omnibus cognitum eſt ex *pr. Inſt. de iis per quos agere poſ.* & *L.* 43. §. 1. *π. de Procurat.* dein receptum fuiſſe, ut quilibet, dummodo legibus non prohiberetur, ad agendam ſuam cauſam, in civilibus Procuratorem poſſet conſtituere: atque ideo ex communi jure idem hoc & Doctoribus, æque ac univerſis civibus, licitum integrumque fuiſſe. GOTHOFREDUS *in com. ad L.* 1. *C. Th. de Med. & Prof.* (ubi ita conſtituitur: *in jus etiam vocari eos, vel pati injuriam prohibemus, &c.*) exiſtimat, Medicos & Profeſſores ejus-

modi pœnali ſanctione vindicari a vulgi injuriis & vexationibus, ſanctasque eorum perſonas reddi, ne quis impune eos injuriis vexaret, inque Jus pertraheret obtorto collo; adeoque illam ſanctionem ad privilegium fori plane non pertinere. Etenim ingenioſa eruditiſſimi Viri conjectura eſt, hoc genus hominum, ac nominatim Sophiſtas tunc temporis apud vulgum in contemptum veniſſe, tanquam qui ἀγροικοὶ ſeu agreſtes, foroque uti neſcirent: & forte tanto magis, quia, Chriſtiana religione jam invaleſcente, hi Profeſſores ferme Gentiles propterea ad fora judiciaque facile pertraherentur, illisque minæ & formidines judiciorum imperitis intentarentur. Atque eos contra hujusmodi vexationes & injurias hac Lege muniri, eorumque perſonas quodammodo reddi ſacroſanctas. Verumtamen quæ conjectura noſtro quidem judicio neutiquam videtur probabilis, nec ad Triboniani ævum facile accommodanda, quippe qui univerſam illam clauſulam, qua pœnæ modus in *d. L.* 1. *C. Th.* definitur, fere reſecuit, & contra Legem peccantes tantum *arbitrio judicis plectendos* voluit. Quin imo verba *in jus vocari*, vel quæ Tribonianus in eorum locum ſubſtituit, *ad judicium deduci*, *eximi vel exhiberi*, diſerte ſatis indicant, non adeo de injuriis aut vexationibus, vel de minis & formidinibus judiciorum intelligenda eſſe, quam quidem de ordinariis Actionibus forenſibus, quibus alios cives in jus vocari, aut ad judicium deduci, & eximi vel exhiberi integrum quidem erat; at quod æque ſeu eadem ratione circa publicos artium, literarum ac legum Profeſſores per noſtram Legem illicitum fuit: utpote quos *in jus vocari* (vel ut Tribonianus interpolavit ad *judicium deduci*, *eximi vel exhiberi*) omnibus expreſſe interdicitur. Attamen quomodo id privilegium proprie ſit intelligendum, non adeo expeditum eſt. Si verba *d. L.* 1. *C. Theod.* reſpiciamus, *in jus etiam vocari eos prohibemus*, videtur Doctoribus aliqua largiri fori Præſcriptio, ut ſcilicet ſine permiſſu Magiſtratus vel venia Prætoris in jus non poſſent vocari. Quod forte referendum ad Edictum, quod copioſe a JCtis exponitur, *L.* 4. §. 1, 2. 3. *& L. L. ſeqq. π. de in jus vocando*, quo cautum eſt, ne parentes, patroni, aliæque perſonæ ibi recenſitæ ſine permiſſu Magiſtratus in jus vocarentur, ſub pœna quinquaginta aureorum, *L.* 24. *eod. tit.* quod ita inductum ob reverentiam illis præ univerſis aliis præſtandam. Hæc enim reverentia depoſcebat omnino, ut modeſtius cum

iis

iis ageretur, nec facile quid intentaretur, quod eorum honori posset officere. Cujus rei inquisitio atque judicium ad Magistratum pertinebat, priusquam veniam indulgeret, *L.* 10. §. 12. *eod.* ULPIANUS quidem ac PAULUS, *d. L.* 4. *& aliquot seqq.* hanc rem late exponunt, & personas repræsentant, quæ absque permissu Magistratus in jus vocandæ non essent. At MODESTINUS rem paucis absolvit, *L.* 13. *eod.* sic scribens: *Generaliter eas personas, quibus reverentia præstanda est, sine jussu Prætoris in jus vocare non possumus.* Sed quæ brevitas non caret difficultate, nec tollit dubitationem, quinam proprie sint, quibus debeatur reverentia. Plerique Commentatores ad Pandect. inter quos WISSENBACHIUS, BÖCKELMAN, BACHOVIUS, STRUVIUS, SCHULTINGIUS, NOODT, VOET, aliique *ad tit. ff. de in jus vocando*, hîc diserte Magistros & Præceptores excludunt, silentioque Medicos ac Professores prætereunt. Quod mirum posset videri, ubi dicta verba *L.* 1. *C. Th.* probe attendamus, quibus *eos in jus vocari* diserte prohibetur. Nec ullo modo absurdum nobis videtur, cum publici illi Professores, quibus in jure tot ac tam egregia Privilegia & Immunitates attribuuntur, hisce personis etiam annumerentur, quibus merito præstanda sit reverentia. Nonne illi ut Parentes suscipiendi, atque omni debito honore rite semper sint colendi? Est enim, ut ait ARISTOTELES *Œcon. lib.* 1. *cap.* 3. *in fine* proprium Patrum liberos παιδεῦσαι, *erudire*, ut Matrum, eosdem nutrire. Unde factum, ut qui docerent, animumque aliorum bonis artibus illustrarent, officio paterno fungi viderentur. Ita GREG. NAZIANZENUS, Theologiæ princeps, & vita sanctissimus, *Epist.* 111. eloquentiæ Magistros, quos Athenis audierat, homines quidem a Christiana religione alienos, sed insigniter eruditos, κοινοὺς πατέρας τῶν λόγων, *communes eloquentiæ Patres* nominat. Et PHILOSTRATUS, *in Apollonio Tyanæo*, *lib.* 4. *cap.* 31. refert, Lacedæmonios eum νέων πατέρα, *juventutis Parentem* appellasse. Confer CRESOLLII *Mystagogum*, *lib.* 1. *cap.* 9. *sect.* 2. *p.* 78. Sic quoque JUVENALIS, *sat.* 7. *V.* 209.

Qui Præceptorem sancti voluere parentis
Esse loco.

Et QUINCTILIANUS, *inst. lib.* 2. *cap.* 2. ubi ita admonet Præceptorem: *Sumat igitur ante omnia Parentis erga discipulos suos*

animum, *ac ſuccedere ſe in eorum locum*, *a quibus ſibi liberi traduntur*, *exiſtimet*. Nec minus & Diſcipulos monet, *cap*. 9. mox ab initio: *Diſcipulos id unum interim moneo: ut Præceptores ſuos non minus, quam ipſa ſtudia ament: & Parentes eſſe non quidem corporum, ſed mentium credant*. Quo & forte referendum, quod dicitur, *L*. 1. *C*. *de excuſ. artif*. de artium Magiſtris, eos *ſuos filios erudire*: id eſt, diſcipulos ſuos. Vide & SENECAM, *Epiſt*. 64. & JOH. SARISBERIENSEM, *Policrat. lib*. 7. *cap*. 14. Notandum etiam, quod affert DRUSIUS *in Apophthegm. Heb. lib*. 3. *num*. 170. *Quatuor ſunt, cum quibus nunquam eſt litigandum, Deus, Rex, Parentes & Præceptores*. Confer ALMELOVENII *not. ad c. l. Quinctiliani, edit. Burm*. Et profecto Præceptoribus atque Magiſtris plura etiam quam ipſiſmet Parentibus nos debere nonnulli putaverunt, cum ab his vivendi, ab illis verò bene vivendi rationem adipiſcamur. Sic DIONYSIUS *Sophiſta*, *epiſt*. 24. de eruditionis ac morum Præceptore ita judicat, quod præſtantior videatur eſſe Patre: dum hic cum voluptate operam dat progignendis liberis: ille verò artis conſilio bonos efficit. Vel ut quidam Philoſophus audacius & ingenioſius fertur dixiſſe: *A Parentibus animalia, a Præceptoribus homines gignimur*. Sane homo illiteratus a bruto externa forma tantum diſtingui videtur. Etenim inter omnia animalia vix ullum ferocius eſt ipſo homine, niſi honeſtis ſtudiis & diſciplinis excolatur. Inde & Præceptorum maxima apud ſapientiæ veteres ſtudioſos erat veneratio, adeo ut diſcituri ad pedes eorum procumberent, velut mancipia, quæ ἀνδράποδες inde Græcis appellantur, quod ad pedes ſemper fuerint dominorum. Sic Paulus Apoſtolus de ſe dum ſtuderet ſapientiæ Legis Moſaiceæ, fatetur, quod nutritus eſſet παρὰ τοὺς πόδας Γαμαλιὴλ *apud pedes Gamalielis*, *Act. Apoſt*. 22: 3. Vide BARTII *Adverſar. lib*. 48. *c*. 2. *p*. 2242. Plura apud WALCHIUM *in Parerg. Acad. p*. 66. Quæ cum revera ita ſint, quid juſtius æquiusve excogitari poteſt, quam quod erudititiſſimis illis venerandisque Viris ac Profeſſoribus, qui ad erudiendam juventutem publica auctoritate erant conſtituti, hæc reverentia merito debeatur, ut ſi non univerſis, Diſcipulis ſaltem ſuis prohibitum fuerit, illos ſine venia Magiſtratus in jus vocari?


§. IX. Verum enim vero quicquid ſit, procul omni dubio tamen eſt, hiſce interpolatis Triboniani verbis, *nec ad judicium deduci*, [*nec*] *eximi vel exhiberi*; Medicis & Profeſſoribus aliquid

quid

quid conferri forensis Privilegii, quod æque aliis non est indultum: ut videlicet nemini licitum fuerit, propter dignitatis seu muneris excellentiam, apprehendere eos, vel manus in eos injicere, aut personaliter ad judicem deducere: adeo ut cautum sit hac Lege, ne Doctores, æque ac vulgus, in judiciis possint sisti, *nec eximi vel exhiberi*; sed ut ab omni minus honesta seu vulgari tractione in judicium securi ubique sint, atque immunes. Vox enim *eximi* proprie usurpatur de reo, cujus nomen cum ipse in reos relatus esset, delatum est; quique, abolitione publica vel privata interveniente, aut desistente accusatore, de reis eximebatur, *L.* 11. §. 2. *π. de accusat.* Sic apud CICERONEM *in Verrem*, *lib.* 4. *cap.* 19. *Condemnare Deodorum non audet: absentem de reis eximit.* Et *lib.* 2. *cap.* 40. *Quo tempore*, inquit, *omnis illa mea festinatio fuit cum periculo capitis ob eam causam, ne tu ex reis eximerere, si ego non affuissem ad diem.* Adjuncta vox *exhiberi* dicitur de personis vel rebus, quæ in publicum producuntur. *Exhibere est in publicum producere, & videndi tangendique hominis facultatem præbere*, *L.* 3. §. 8. *D. de hom. lib. exhib. seu præsentiam corporis præbere*, *L.* 22. *ff. de V. S.* Reum autem *exhibere* quid sit, patet ex *L.* 4. *π. de cust. & exhib. reor. Si quis reum criminis, pro quo satisdedit, non exhibeat, &c.* Confer & *L.* 2. *C. de exhib. & trans. reis.* Ex quibus liquet, Medicis & Professoribus, hanc fori Præscriptionem indultam fuisse, ut non nisi honesto modo ad judicem essent vocandi, & absque omni illata vi aut vexatione. Quinimo si & in numero personarum egregiarum merito sunt ponendi, ut putant nonnulli, gaudebant etiam hoc privilegio, per *L.* 15. *ff. de jurejur.* quod testimonii vel jurisjurandi præstandi causa domo ad tribunal evocare illos non oporteret, sed quod judex necesse haberet, ad eos mittere quempiam, qui testimonium vel jusjurandum ab iis reciperet. Confer STEPHANUM *de Nobilitate*, *lib.* 2. *p.* 312. *num.* 44. & WALTHERUM *de statu, jurib. & privil. Doctorum*, *cap.* 17. *p.* 317.

§. X. Postremo muniuntur Doctores hac pœnali sanctione contra omnes vulgi injurias aut vexationes: *vel injuriam pati: ut si quis eos vexaverit, pœna arbitrio Judicis plectatur. L.* 1. autem *C. Theod. de Med. & Prof.* gravissima pœna in eum proposita fuit, qui injuriam illis inferret; quam Tribonianus mutavit in arbitrariam. Quo facto Doctoribus nihil præcipuum præ aliis hîc indulgetur, cum & cuilibet illata injuria seu vexatio

arbitrio judicis coercetur. Confer CUJACIUM *ad noſt. L.* Attamen non contemnendum illud Doctorum privilegium, quod in jure ſpeciali ſanctione muniuntur ac defenduntur, imo velut ſacroſancti redduntur, contra populi injurias vexationesque. Et licet delinquentium pœna arbitrio judicis prorſus ſit relicta, res tamen per ſe loquitur, injuriam publico Doctori vel Profeſſori illatam, propter dignitatem & excellentiam perſonæ vel muneris, valde exaſperari, adeoque pro atroci injuria reputari, *arg. L. 7. §. 2, 3. ff. de injur. &c.* & ob id gravius, quam ſi plebeio facta eſſet, judicari. Confer STEPHANUM, *l. c. p.* 304. *num.* 32. Verum ne longiores ſimus, ultra quam ſatis eſt, hæc fortaſſis de Doctorum Privilegiis & Immunitatibus aliquo modo poſſunt ſufficere. Sin autem quis plura deſideret, ubi copia ſit, adeat Auctores, qui hanc materiam plenius tractarunt, quique ſat plures recenſentur a LIPENIO *in Biblioth. Jurid. p.* 153. *& ſeq. ad voc. Doctores.*



CAPUT NONUM.

De Doctorum Salariis.

§. I.

Sequitur nunc tertia Doctoralis Privilegii pars, quæ in *Salario* vel Honorario conſiſtit: cujus ſuccincta expoſitione totius argumenti tractationem ad exitum conabimur perducere. Hac de re ſic in fine Legis conſtituitur: *Mercedes etiam iis & Salaria reddi jubemus, quo facilius liberalibus ſtudiis & memoratis artibus multos inſtituant.* Nemo ſane eſt, qui neſcit, Artes atque Litteras, quamvis proprio fine quæſtum non intendant, abſque honeſta tamen remuneratione, ſive officii præmio ac fructu, nec valere, nec ſeſe ipſas ſuſtentare poſſe: Itaque egregium dictum Suilii & Coſſutiani coram Cæſare apud TACITUM, *Annal. lib.* 11. *cap.* 7. *Sublatis ſtudiorum pretiis, etiam ſtudia peritura.* Etenim ut hîc verbis utamur J. CHR. SAGITTARII in elegant. Diſſert. *de orig. Salariorum, &c.* quæ exſtat inter *ſelectiores ejus Diſſert. p.* 234. *Ecquid enim adtineret*

magno-

magnopere ad ravim usque in porticu declamaſſe, egiſſe cauſas in foro, aut in ſchola ſudaſſe, præterque famem aliud non poſſidere? Alterum etiam accedat oportet, quo inopiæ ſuccurratur, Merces ſcilicet ingenua. Non quod Artes liberales Mercede quadam poſſint exæquari, quippe quæ longe pluris conſtant; ſed ut pretium non Rei, ſed Operæ ſolvatur, uti loquitur SENECA, *lib.* 6. *de Benef. cap.* 15. Nec aliter EURIPIDES *in Rheſo, Vers.* 161.

Laborantem decet
Mercedem auferre: additum enim omni
Negotio lucrum, voluptatem parit duplicem.

Confer THOLOSANUM *de Repub. lib.* 18. *cap.* 4. & BESOLDUM, *lib.* 2. *Politic. cap.* 1. *n.* 3. *&* 19. Nonne profecto citius in perniciem caderent omnes omnino Doctrinæ atque Scientiæ, cum ſumma Reipublicæ calamitate conjunctam, ubi bonarum artium Magiſtris vel fame perire, vel ſordidis miniſteriis fœdari impoſitum eſſet?

§. II. Nihilominus illud quoque noſſe oportet, quod primis temporibus beatiſſimoque ſeculo, ut PINDARUS canit, *Iſthm. od.* 2. mox ab initio, *Muſa nondum lucri cupida erat neque mercenaria, neque vendebantur a Terpſichore dulces melliſonæ cantilenæ.* Etenim ſive antiquos Philoſophos ſpectes, ſive Oratores, aliosque ſapientiarum Magiſtros, ſane procul aberant qui pecuniæ gratia vel ingenti auri cupidine artes doctrinasque profiterentur. Nec tunc ſapientis Argivi dictum locum habuit: *O cives, cives, quærenda pecunia primum eſt.* Ad Philoſophos quod attinet LAERTIUS, *lib.* 2. *in Socrate, ſegm.* 27. nobis tradit, eum in facilitate victus maxime gloriatum fuiſſe, Mercedemque a nullo exegiſſe. Cui cum luxurioſus ejus diſcipulus Ariſtippus, qui primus Philoſophorum quæſtu philoſophatus eſt, aliquando viginti minas miſiſſet, eas ille continuo ipſi remiſit, aſſerens, *Deum Socratis id ſibi non permittere.* Vide LAERTIUM *in vita Ariſtippi, ſegm.* 65. Sic & de Thalete refert JULIANUS, *orat.* 3. *p.* 125 *& ſeq.* ipſum cum interrogaret quispiam, quantam Mercedem pro eo quod didicerat perſolveret? reſpondiſſe: *Tu ſi a me didiciſſe fatebere, juſtum mihi præmium perſolveris.* Verum enim vero hæc exempla, licet eximiæ virtutis ac laudis documenta, non tamen ubivis obvia, nec cuique facile imitanda ſunt. Cognitum equidem eſt, in noſtro jure, & in *Baſilicis, lib.* 54. *tit.* 14. omnem quæſtum Philoſophis plane de-

denegari, atque ita judicari, *religiosam quidem rem esse Philosophiam, verum pecuniam spernere debere Philosophos:* attamen inventi sunt quocunque tempore sat plures inter gravissimos & celeberrimos istos virtutis sapientiæque Antistites, quibus quod Socrates aliique veteres Philosophi indignati sunt, neutiquam indignum visum fuit. Quales erant Protagoras & Prodicus Ceus, vel Cejus, de quibus idem Laertius, *lib.* 9. *in vita Protag.* tradit, quod libros prælegentes sibi quæstum facerent. De Protagora etiam Philostratus, *de vitis Sophist. lib.* 1. *sect.* 10. *Docere autem mercede primus instituit: primusque adeo rei nequaquam reprehendendæ Græcis auctor fuit. Nam ea studia, quæ sumptu comparamus, longe cupidius complectimur, quam ea quæ nihilo constant.* Confer Gronovium *de pecun. vet. lib.* 4. *cap.* 11. *ab initio.* Ab eodem dicitur Euathlus decem millibus denariorum didicisse artem, quam edidit, apud Quinctilianum, *lib.* 3. *instit. cap.* 1. Eandem summam Gorgiam, Philosophum simul & Oratorem celeberrimum, a discipulis quoque exegisse auctor nobis est Diod. Siculus, *lib.* 12. *ad an. M.* 3545. ubi in ejus laudem annotat, quod *varias dicendi artes primus invenerit, & in sapientis eloquentiæ studio ac professione adeo supra alios eminuerit, ut mercedis loco centum a singulis discipulis minas acciperet.* Vide & Suidam ad voc. Γοργίας. Inter ejus discipulos erat & Isocrates, qui (ut refert Dionysius Halicarn. *in comment. de orat. antiq. tom.* 2. *Op. p.* 150. *edit. Hudson.*) *adolescentes, cum Athenis tum in reliqua Græcia, præstantissimos erudiit. Unde etiam tantas opes adeptus est, quantas eorum nemo qui docenda Philosophia rem fecerunt.* De Aristotele Alexandri M. præceptore refert Plutarchus, *in vita Alexandri, p.* 668. patrem ejus Philippum præmium illi dedisse institutionis præclarum & decorum. Quinimo & Speusippus, Platonis cognatus, quique ipsi in docendo successit, ab ejusmodi lucro tam parum abhorruit, ut Dionysius Siciliæ tyrannus mordaciter hunc in modum ad illum scriberet: *Plato quidem gratis sua limina terentes docebat, tu vero tributa exigis, & a volentibus nolentibusque accipis.* Vide Laertium *in ejus vita lib.* 4. *segm.* 2. & Athenæum, *lib.* 7. *p.* 279. *& lib.* 12. *p.* 546. De Agathocle Stoico testatur etiam Lucianus *in Icaromenippo, p.* 198. *edit. Grævii*, eum de Mercede discipulum in jus vocasse. Verum quid plurimis immoremur exemplis? dummodo communis deinde mos fuit, mercenariam excolere Philosophiam,

ne

ne dicam immodico etiam lucro & avaritia divinam illam polluere artem: qua de re apud CICERONEM, aliosque ingenuos scriptores gravissimæ passim obviæ sunt querelæ. Cujusmodi & MAJORAGII legitur, posterioris ævi, de Virorum Doctorum avaritia, *in Philochryso*, qui exstat inter MORHOFII *Orationes. p.* 350. *Jam vero*, inquit, *publici Professores, licet ipsis scientiis, qui est unus animorum pastus suavissimus, præcipue delectari videantur, tamen ab auro facile superantur, & eo potissimum se conferunt, unde major auri copia refulserit. Testis est hujus rei noster Alciatus, qui, quocunque auri flatus spiraverit, eo vela dat. Testes sunt omnes alii, quos nominatim appellare post Alciatum nefas esset, ne fortasse cum tanto Viro comparari viderentur.*

§. III. Ad reliquos artium literarumque quod attinet Magistros, Rhetores scilicet, Oratores, Poëtas, Grammaticos, tam Græcos quam Romanos; primus illorum, qui Musas cupidine auri devenustavit, habetur Simonides: de quo quidam ita cecinit:

Lyrici prius scribebant absque argento,
Primus autem cœpit mercede scribere
Simonides.

Unde vulgo dicebatur *argenteam omnem scriptionem elaborare.* Initio vero exorientis Sophisticæ artis omne lucri avaritiæque negotium a viris vere sapientibus plane repudiabatur. Dein autem communis fere Sophistarum mos invaluit, ut mercenariæ sapientiæ officinæ instruerentur, & magno impetu ad auream messem ubique accurrerent. Haud secus ac LUCIANUS, *in Apolog. pro merc. cond. p. m.* 492. *edit. Grævii. Equidem affirmo tibi, neminem gratis quicquam facere. Nec summarum rerum administratores excipias, quando nec ipse Rex mercedis est expers.* Qua de re plurima collegit eruditissimus CRESOLLIUS, in elegantissimo *Theatro vet. Rhet. lib.* 4. *cap.* 3 *& seqq.* Quidquid enim suscipiunt mortales, id honorum non tantum, sed & præmiorum ferme spe, capiendæque cujuspiam utilitatis causa facere solent, bene memores dicti Epicharmi apud ÆSCHINEM, *dial.* 3. §. 6. *Manus manum lavat: da quid, & accipe quid:* ubi confer *not.* HORREI. Sic & apud LIVIUM, *lib.* 4. *cap.* 35. *Eo impendi laborem ac periculum, unde emolumentum atque honos speretur. Nihil non aggressuros homines, si magna conatis magna præmia proponantur.* Inde SYMMACHUS, *lib.* 1. *epist.* 43. *Cum dignis fructus tribuitur,*

eadem capessentibus spes paratur. Et *lib.* 1. *epist.* 3. *Sedulitas quæ non compensatur, onerosa est.* Plura hujus generis ex antiquis Græcis scriptoribus nobis servavit Strobæus, *serm.* 89. *de laude Divitiarum.* Quamobrem bonas artes atque literas absque spe præmii & honoris facile nutriri nemo sane præsumat. Hinc antiquis temporibus a literarum & consultis & patronis indulgentissimis tot ac tanti reditus, stipendia & salaria disciplinarum cultoribus benigne sunt concessa, ut illa vel leviter recensere nimium longum foret. Etenim cum necessaria vitæ præsidia omnibus, adeoque etiam artium Doctoribus & Magistris debeantur maxime, inde nulla uspiam gentium Natio tam barbara fuit atque inculta, quæ non suis, si quos habuit, Sophistis, (vel quocunque nomine illis venerint) pretium condignum ponendum esse statuerit; quod veterum Græcorum ac Romanorum aliorumque Auctorum testimoniis abunde posset probari.

§. IV. Primus fuit Imp. Vespasianus, qui teste Suetonio, *in ejus vita cap.* 18. *e fisco Latinis Græcisque Rhetoribus annua centena constituit.* Sive quod idem est, aureos millenos: nostræ vero pecuniæ aureos bis millenos & quingenos. *Amplissimum sane*, ait Casaubonus *ad h. l. ut quidem nunc vivitur, honorarium: pro ratione vero illorum temporum tenue. Nonne enim pudendum, Terpno Diodoroque citharœdis pro una productione data ducenta, istis vero annua, centena tantum statui?* Vespasianus Imp. & ipse literas coluit, & in literatos insigniter extitit liberalis: cujus rei documentum etiam fuit Saleius Bassus, poëta egregius, qui Principis hujus indulgentiam ingenio suo meritus, quingenta sestertia ab ipso dono accepit, ut refert Auctor *dialogi de causs. cor. eloq. cap.* 9. Attamen alii putant, Imp. Domitianum primum jussisse Professoribus stipendium tribui, de quo vide supra *cap.* 3. §. 2. Vespasianus vero imitatus forte fuit Augustum, qui Verrium Flaccum, libertinum ac Grammaticum celeberrimum, cum tota schola in Palatium transeuntem, centenis sestertiis annuis, hodierno nummo bis mille & quingentis aureis, seu coronatis, de suo locupletasse traditur a Suetonio, *de illustr. Gram. cap.* 17. Confer Scip. Gentil. *parerg. ad Pand. lib.* 1. *cap.* 1. *in tom.* 4. Ottonis *Thes. jur. p.* 1273. Atque sic Vespasianus hoc salarium primus non constituisset. Verum Suetonii loca, quæ sibi invicem repugnare videntur, ita conciliat Marcilius, *ad Sueton. Vespasian.*

cap.

cap. 18. quod Verrius ille Flaccus *unus* fuerit, *atque extra ordinem, aut potius ſine ordine Profeſſionis, qui tunc nullus erat:* adeoque hic quaſi nullus ſit cenſendus. Poſtea vero ſenſim invaluit, ut & Grammatici publicis invitati ſtipendiis docerent. De Hadriano Imp. auctor nobis eſt SPARTIANUS *in ejus vita, cap.* 16. eum Epictetum & Heliodorum philoſophos, & Grammaticos, rhetores, muſicos, geometras, pictores, aſtrologos non tantum in ſumma familiaritate habuiſſe; ſed & *omnes Profeſſores & honoraſſe & divites feciſſe. Doctores* etiam, *qui profeſſioni ſuæ inhabiles videbantur, ditatos honoratosque a profeſſione dimiſiſſe.* Propterea & PHILOSTRATUS, *lib.* I. *de vit. Sophiſt. cap.* 24. *in fine*, hunc Imperatorem laudat, ac *qui*, *inter veteres Imperatores, maxime ad promovendum omne genus artium ac ſcientiarum propenſus exſtiterit.* Atque aliis in locis earum vitarum non paucis Hadriani beneficia in viros doctos commemorat. Confer CASAUBONI *not. ad d. l. Spartiani.* AURELIUS VICTOR quoque, *de Cæſ. cap.* 14. §. 2. de ipſo refert, quod *leges, gymnaſia doctoresque curare occœpit: adeo quidem, ut etiam ludum ingenuarum artium, quod Athenæum vocant, conſtitueret.* Aliud adhuc exemplum Mercedis publicæ, qua literarum ac ſapientiæ Profeſſores ornati ſunt, tradit nobis CAPITOLINUS, *in vita Antonini Pii, cap.* 11. ubi dicit, *eum Rhetoribus & Philoſophis per omnes provincias & honores & ſalaria detuliſſe.* Quod XIPHILINUS, *in epitom. Dion. p.* 280. Antonino Philoſopho potius attribuit: qua de re confer WALCHIUM *de præm. vet. Sophiſt. in Parerg. Acad. p.* 122. §. 9. Veſtigia autem hujus Antonini Pii conſtitutionis exſtant in *L.* 6. *D. de excuſat.* & *L.* 4. *C. de Prof. & Med.* Inde LUCIANUS, qui ſub Hadriano, Antonino Pio, & Antonino Philoſopho vixit, *in Eunucho, p. m.* 841. ita de Philoſophorum ſalario: *Scis Pamphile ſalarium, idque neutiquam exiguum, ab Imperatore fuiſſe conſtitutum ſingulis Philoſophorum generibus, &c. ita ut unicuique ſectæ præmium eſſet æquale. Cæterum demortuo ex his quopiam, alius in ejus locum ſubrogandus erat, qui eſſet optimatum calculis probatus. Porro præmium, non erat pellis bubula juxta poëtam, nec porcellus: verum ſingulos in annos decem millia nummorum, quos accipiunt, uti doceant juventutem.* Græc. μύριαι, ubi ſubintelligitur δραχμαὶ, efficiunt Romanæ monetæ ſeſtertia quadraginta, aureos quadringentos: at noſtræ coronatos mille. Vide GRONOVIUM *de pecun. vet. lib.* 4. *cap.* 11. *p.* 329. Atque idem

ſalarium tunc & Grammaticis ac Rhetoribus erat conſtitutum. Sic Theodotus Sophiſta apud PHILOSTRATUM *de vit. Soph. lib.* 2. *cap.* 2. dicitur *juventuti Athenienſium inſtituendæ præfuiſſe primus ſtipendio Imperatoris* μυρίαις, videlicet δραχμαῖς, id eſt, *decem mille drachmarum.* Confer & *lib.* 2. *de vit. Soph. cap.* 11. §. 1. *in fine.* TATIANUS autem, *in Orat. apolog. ad Græcos, cap.* 32. Philoſophorum increpans avaritiam, *Tantum*, inquit, *ab hoc ſtudio*, ſcilicet a contemtu opum, *Philoſophi veſtri abſunt*, *ut nonnulli* ἐτησίες χρυσῦς ἑξακοσίες, *ſexcentos annuos aureos ab Imperatore Romano ad nullum utilem finem accipiant.* Dicit τινάς, *nonnullos*; ergo non omnium, ſed celeberrimorum tantum Philoſophorum hoc erat ſalarium. Centum aurei Romani ſunt decem millia nummûm, duo millia quingenti denarii. Itaque *ſexcenti aurei* faciunt ſexaginta millia nummûm, quindecim millia denariûm, ſeu noſtros coronatos mille quingentos. Ad TATIANUM vero cum LUCIANO & PHILOSTRATO in concordiam redigendum multa quidem tentavit SALMASIUS, *in not. ad Capitolini Anton. Pium*, *cap.* 11. ſed non adeo fauſto ſucceſſu, ut oſtendit GRONOVIUS *de pecun. vet. lib.* 4. *cap.* 11. *p.* 330. Confer & CASAUBONI *not. in Suetonii Othon. cap.* 4. Denique & de Alexandro Severo Imp. narrat LAMPRIDIUS, *in ejus vita*, *cap.* 44. *Rhetoribus*, *Medicis*, *&c. ſalaria inſtituit*, *& auditoria decrevit*, *& diſcipulos cum annonis pauperum filios modo ingenuos dari juſſit. Etiam in provinciis Oratoribus forenſibus multum detulit*, *plerisque etiam annonas dedit*, *quos conſtitiſſet gratis agere.*

§. V. Ex hiſce a nobis adductis exemplis abunde conſtat, quam egregios artium eloquentiæque ſtudia patronos olim ac fautores adepta fuerint, qui erga illorum Profeſſores indulgentiam ſuam & benignitatem lubenter declararunt, atque dignitatem culturamque Doctrinarum prorſus tueri ac florentes reddere in ſummis deliciis habuere. Præterea nobis magna copia adeſt Doctorum Virorum, qui hanc benevolentiam extra ordinem quoque experti ſunt, atque ampliſſimos artis ſuæ ceperunt fructus: inter quos Sextus Clodius celebratur, *Latinæ ſimul Græcæque eloquentiæ Profeſſor*, ut dicitur a SUETONIO *de clar. rhet. cap.* 5. qui ab Antonio, cui ob jocos ac dicacitatem valde gratus erat, magnam Mercedem accepit, videlicet duo millia jugerum campi Leontini, cultiſſimi ac fertiliſſimi agri in Sicilia; & quidem immunia, *ut pro tanta Mercede nihil ſa-*

sapere disceret Antonius. Vide CICERONEM, *in Philip. 2. cap. 17.* Ac ne hoc quidem nobis videtur silentio prætereundum, quod PLUTARCHUS *in vita Pompeii M. p. m.* 641. refert, eum, quum Rhodum profectus, Sophistas ibi omnes audivisset, singulis donasse talentum: paremque extitisse Athenis adversus Philosophos ejus munificentiam. Quod docentium præmium nequaquam fuit contemnendum. *Talentum* enim, Atticum seu Rhodium, constare sexaginta minis, id est, sex millibus drachmarum, quæ faciunt sexagies denos coronatos, docet GRONOVIUS *de pecun. vet. lib.* 3. *cap.* 4. *p.* 132. Confer WALCHIUM *de præm. vet. Sophist. p.* 127. & CRESOLLIUM *in Theat. Rhetor. lib.* 4. *cap.* 3. *p.* 384. Alia autem ne commemoremus exempla, unicum tantum addendum celeberrimum, quod EUMENIUS Rhetor de se ipso tradidit, *in Orat. de restaur. schol. cap.* 11. *Salarium*, inquit, *me liberalissimi principes, ex hujus Reipublicæ viribus, in sexcenis millibus nummûm* (quæ nostra moneta conficiunt quadraginta quinque millia florenorum) *accipere jusserunt.* CASAUBONO vero, *ad* SUETONII *Othon. cap.* 4. nimium videtur hoc Rhetoris salarium, ideoque pro *sexcenis*, seu *sexcentis*, legendum putat *sexagenis*. Verum aliquid humani hic passus est eruditissimus ille Vir, nec meruit applausum MARCILII, *in Suetonii Vespasian. cap.* 18. CELLARII *in not. ad. d. l. Eumenii.* WALCHII *l. c.* nec ipsius GRONOVII *de pecun. vet. lib.* 4. *cap.* 11. *p.* 330. Etenim haud probe attendit verba Eumenii, quæ mox sequuntur: *non quoniam non amplius tribuere commodis meis vellent, in quem multa majora & prius & postea præmia contulerunt: sed ut tercena illa sestertia, quæ sacræ memoriæ Magister acceperam, in honore privati hujus Magisterii addita pari sorte geminarent.* Erat Rhetor non solum Eumenius, verum & *sacræ memoriæ Magister*, cujus munus fuit adnotationes omnes dictare & emittere, & precibus respondere; quo functum esse ipse prodit *in Panegyrico Constantio Cæs. cap.* 1. §. 4. Fallitur itaque in eo CASAUBONUS, quod putaverit, amplissimum hoc salarium, communis Rhetoris stipendii pretium nimis excedens, Eumenio ut Rhetori datum; cum diserte ipse indicat, illud sibi ex honore *Magistri sacræ memoriæ* decretum fuisse; adeoque non ex communi usu, sed pro peculiari liberalitatis exemplo. Neque tam alienum est a Romana magnitudine ac munificentia, singulari Doctori, eique Palatii Magistro tantum honorarii contulisse. Præterquam quod, si

ſecundum CASAUBONUM *ſexagenis* legendum ſit pro *ſexcenis*, tum dimidium ſalarii eſſet minus, quam pro dignitate ac munere hoc antea acceperit Eumenius, ſi quidem diſerte affirmat, ſe ut ſacræ memoriæ Magiſtrum *tercena* accepiſſe *ſeſtertia*. Plura conquirendi operâ ſuperſedemus.

§. VI. Quoniam autem per noſtram L. non tantum *Profeſſoribus*, ſed & *Medicis* ſalarium conſtituitur, inde ratio poſtulat, ut ſpeciatim de eo pauca quædam obſervemus. Etenim quum nemo ſuis militare cogatur ſtipendiis, ſic publica quoque ſuadet utilitas, ne ſalutaris ars facile negligeretur, ſi nullus ei honor haberetur vel remuneratio, ut Medicus pro ſua arte, æque ac omnes alii, ingenuum nanciſcatur præmium & emolumentum, quo ſeſe ſuosque commode ſuſtentet. Quæ res, quamlibet manifeſtiſſima, a pluribus tamen tractata eſt, quorum ſat longam nobis ſeriem exhibet LAMPIUS *de hon. &c. Med. cap.* 3. §. 33. *p.* 195. De Hippocrate quidem, Medicorum principe, traditur, eum ab avaritia, communi ut fertur Medicorum probro, tam alienum fuiſſe, ut populo Abderitano, ampliſſimum præmium decem talentorum, hoc eſt 63750 aureorum, ad Democriti ſanationem ipſi offerenti, reſponderit; *Sinite opera liberæ artis eſſe libera: qui mercede locant, hi ſcientias ſervire cogunt.* Vide CASTELLANI *Vit. illuſtr. Med. p.* 33. *& ſeq.* & TIRAQUELLUM *de Nobilit. cap.* 31. *num.* 404. Verum id equidem nemini mirum videbitur, dummodo intelliget, ipſum ab Artaxerxe Perſarum rege honorificentiſſima pollicitatione pellectum, miſſis ad Hyſtanen Helleſponti præfectum hujusmodi regiis mandatis: *Aurum ipſi da quantum voluerit, aliaque effuſe quibus opus habet, & ad nos mitte, &c.* nihilominus per eundem Præfectum denunciaſſe Regi, ſe ad eum non venturum, *quoniam*, reſcribebat, *& reditu, & veſtibus, & habitatione, & omnibus ad vitam ſufficientibus facultatibus abundamus*, ut legere eſt in *tom.* 2. *ejus Oper. p.* 900. Laudabile quidem ac magnificum nobiliſſimi Medici exemplum: (cui reſpondet GALENI *in lib. quod opt. Med. ſit & Philoſ.* præceptum, *oportere Medicum pecuniam ſpernere:* vide LAMPIUM *de hon. &c. Med. p.* 197.) attamen, quum nec omnibus Hippocratis diſcipulis de adeo lauta re ſua familiari licitum ſit gloriari; nec etiam exemplis vivatur, ſed legibus; audiendus potius CICERO, *lib.* 16. *Epiſt.* 14. *Medico mercedis, quantum poſcet, promitti jubeto.* Et SENECA *de Benef. lib.* 6. *cap.* 15. *Adverſus hoc*, inquit, *reſpondetur*, *quæ-*

quædam pluris esse, quam emuntur. Emis a Medico rem inæstimabilem, vitam ac valetudinem bonam: a bonarum artium Præceptore studia liberalia & animi cultum. Itaque his non rei pretium, sed operæ solvitur, quod deserviunt, quod a rebus suis avocati nobis vacant. Mercedem non meriti, sed occupationis suæ ferunt. Inde Medicis annuam Mercedem sexcenorum sestertiorum olim fuisse apud Principes, tradit PLINIUS, *lib.* 29. *cap.* 1. Confer SAGITTARIUM *de orig. Salar. in Dissert. p.* 246. *& seq.* Et præses provinciæ de mercedibus Medicorum extra ordinem jus quoque dicebat, *L.* 1. §. 1, 2. *π. de ext. cogn. & L. ult. de his qui effuder.* Nec tamen quis inficias ibit, plus condignæ mercedis Medicis deberi qui solertissime ac fausto etiam successu functi officio fuerint, quam qui auri cupidine flagrantes, sed artem suam minus feliciter exercentes, nihilominus, omnibus rebus quasi bene gestis, magna equidem petunt, imo & expostulant. Quidquid sit, deplorandus sane atque miserrimus illorum status, qui *tam valido gaudent corpore, ut multorum hominum pecuniam Medicis impenderint, medica manu semper indigentes,* prout de Agrœcio Rhetore scribit LIBANIUS, *Epist.* 296. *ad Modestum.* Verum ne longius hisce immoremur, ostensum est antea, in nostra Lege de universis Medicis non adeo agi, ac quidem de eorum Magistris seu Doctoribus, vel de *Archiatris* aut *ex Archiatris*, qui Medicæ artis præceptis alios instituebant, atque in publicis scholis erudiebant. His Medicinæ Doctoribus, æque ac aliis Professoribus, salarium erat constitutum, non pro arte sanandi, quam interdum, ut adhuc moris est, etiam exercebant; sed pro arte docendi, de quo salario Lex speciatim jubet. Atque eadem hîc Jurisconsultorum ratio est. Licet enim de Advocatorum salario sat plura in jure nostro occurrant, quæ ab aliis sunt tractata, (inter quos vide TIRAQUELLUM *de Nobilitate, cap.* 29. ALCIATUM *lib.* 3. *dispunct. cap.* 9. BRUMMERI *comment. ad L. Cinc.* SCHULTINGIUM *ad Ulpiani tit.* 1. *de legib. & morib.* Confer & ATTALIATÆ *Synopsin, tit.* 95. *de Avocatis, in* LEUNCLAVII *jur. Gr. Rom. tom.* 2. *p.* 77.) nobis tamen iis supersedendum est, quum Lex proprie id salarium respicit, quod *legum Doctoribus*, qui Romæ, Constantinopoli, & Beryti jurisprudentiæ præcepta tradebant, publica ex auctoritate erat statutum: de quo ULPIANUS, *L.* 1. §. 5. *D. de extr. cogn.* sic docet; *Proinde ne juris quidem civilis Professoribus jus dicent. Est quidem res sanctissima civilis sapientia:*

sed

ſed quæ pretio nummario non ſit æſtimanda nec dehoneſtanda. Verum ab ipſo additur tamen in fine : *quædam enim tametſi honeſte accipiantur , inhoneſte tamen petuntur.* Adeoque & agnoſcit ULPIANUS , æquum eſſe & honeſtum, quod juris Profeſſores pro docendi opera ac munere condignum accipiant ſalarium. Cæterum ut & ipſis nulla petitione hic opus eſſet, nullaque extraordinaria cognitione , effecit ea , de qua agimus , Conſtitutio. Hæc vero *de legum Doctoribus* ad inſtitutum noſtrum monuiſſe ſufficiant.

§. VII. Nemini itaque , qui hæc omnia bene conſideraverit, mirum videbitur, Imp. CONSTANTINUM M. egregium illum artium literarumque fautorem , ut eas magis ac magis nutriret & promoveret, per noſtram Legem Medicis & Profeſſoribus, qui in publicis ſcholis docebant, *Mercedes & ſalaria reddi* conſtituiſſe. Exſtat autem quædam ejusdem Imp. conſtitutio , *L. un. C. Theod. de præb. ſalar.* & *L. un. C. eod.* in hæc verba: *Nulli ſalarium tribuatur ex viribus Reipublicæ , niſi ei qui jubentibus nobis ſpecialiter fuerit conſecutus :* ubi per *vires Reip.* pro quo *jura Reip.* ſubſtituit Tribonianus, intelliguntur vectigalia & reditus ſingularum civitatum , ſeu Rerumpublicarum ; quod aliis Legibus manifeſtum eſt. Confer GOTHOFREDI *com. ad h. l.* Sic SIMMACHUS, *lib.* 10. *epiſt.* 10. *Habenda eſt ratio vectigalium publicorum, & lavacri æſtivi inſtauratio cum Reipublicæ viribus conferenda : ut ſi quid redundat expenſis cæteris , in ſumptum operis conferatur.* Horum redituum pars reparationi civitatis ſeu operum publicorum deſtinata erat : pars vero reliqua aliis neceſſitatibus Reip. ſerviebat : omnisque is reditus ab Ordinibus civitatum vel Decurionibus adminiſtrabatur , ut docet *L.* 33. *C. Th. de oper. publ.* Plura vide apud GOTHOFREDUM, *l. c.* Verum ſupra, *cap.* 8. §. 1. a nobis oſtenſum eſt , ex ULPIANO, *L.* 4. §. 2. *π. de decret. ab ord.* Decurionibus prohibitum fuiſſe, ex viribus Reipublicæ ſalarium alicui deferre, præterquam ob ſolam liberalem Artem & Medicinam , puta ſi cui Profeſſori municipali vel Medico ſalarium quoddam conſtituerent. Unde & LIBANIUS *in Orat. ad Antiochenos , pro Rhetoribus ſeu Profeſſoribus eloquentiæ, tom.* 2. *p.* 85. *&c. edit. Morellii* , multa ad permovendos Decuriones Antiochenos in medium profert, ut quatuor Rhetoribus , qui ſumma inopia omnium rerum æreque alieno obruti , cum univerſis miſeriis ac calamitatibus conjunctiſſime vivebant, ſalarium augeatur dato quo-

dam agrorum proventu. *Etenim*, inquit *p. 90. nunc non a vobis efflagitarem, ut pecuniam conferretis, neque ut frumenta, neque ut vinum ex facultatibus vestris erogaretis: non enim ignoro impensas quotidie a vobis in publicum factas, &c. Colitis agros non procul ab urbe, eorumque fructus percipitis, vos saltem qui a consiliis estis, &c. Ex minoribus vero nonnullos Rhetoribus, quo respirare queant, dono date; & erecto illos animo facite: nempe hosce illis, qui nullo munere funguntur publico, digniores censendo, &c. Si id, ô cives, obtineant auxilium, illi ad alimentum, & juvenes ad literarum studia emolumentum percipient.* Interim vero Constantinus M. *d. l.* diserte & absque ulla distinctione *nulli* a Decurionibus salarium tribui vult ex viribus Reipublicæ, nisi speciali Principis jussu. Sicut dein & Gratianus Imp. *L. 11. C. Th. de Med. & Prof.* cum Gallicanis civitatibus Professorum deligendorum daret quidem arbitrium, noluit tamen, *ut liberum esset cuique civitati, suos Doctores & Magistros placito sibi juvare compendio*; utpote quibus non nisi jubente Principe salarium esset conferendum. Quæ fortassis ita inter se sint concilianda: quod Civitates in salariis decernendis modum minus tenerent; atque adeo dictas Constantini & Gratiani Constitutiones non de solitis & necessariis salariis esse intelligendas, quæ inscio & inconsulto etiam Principe decerni possent: sed de extraordinario quodam compendio vel honorario, quod per ambitiosa Decurionum decreta, citra cognitionem seu jussionem Principis, vel Professoribus, vel in alias probabiles causas quibusdam aliquando decerneretur. Confer GOTHOFREDUM, *l. c.* Etenim forte meminerat sapientissimus hic Princeps Constantinus, Alexandrum Severum graviter dixisse, *Malum pupillum esse Imperatorem, qui ex visceribus provincialium homines non necessarios, nec Reipublicæ utiles pasceret*, ut narrat LAMPRIDIUS *in ejus vita, cap. 15.* (ubi SALMASIUS putat legendum, *Malum populi villicum esse Imperatorem.* Nec præter rationem: Imperator enim res publicas curat administratque, & quasi populi procurator & *villicus* est: non vero *pupillus.*) Attamen non minus quoque intelligebat Constantinus, improbum ingratumque se fore, si qui necessarii & utiles sunt Reipublicæ non pasceret: ideoque specialiter jussit, Medicis & Professoribus liberalium studiorum mercedes dari ac salaria: quæ tamen sine speciali Principis cognitione atque voluntate nemini voluit conferri, ne aliquando ex publicis reditibus majores facile impensæ vel beneficia fierent in indignos. Eodem

Q modo

modo ac de Antonino Pio refert CAPITOLINUS *in ejus vita*, *cap.* 7. *Salaria multis ſubtraxit*, *quos otioſos videbat accipere*, *dicens*, *Nihil eſſe ſordidius*, *imo crudelius*, *quam ſi Rempublicam ii arroderent*, *qui nihil in eam ſuo labore conferrent. Unde etiam Meſomedi Lyrico ſalarium imminuit.* Cæteroquin autem in dubium non venit, quin artium ſtudiorumque cultura juſtiſſima cauſa ſit, ſi ulla eſſe poteſt, beneficii alicujus ſingularis, ſive largitioris indulgentiæ ex viribus Reipublicæ. Sicuti memoriæ proditum eſt, Leonem Imp. Martiani ſucceſſorem, cum Eulogio philoſopho teſſeram frumentariam dari juſſiſſet, & quidam ex Eunuchis ſubmurmuraret, dicens, Militibus potius hujusmodi largitionem eſſe faciendam, in hæc verba exclamaſſe: *Utinam is ſit aliquando meorum temporum ſtatus*, *ut mihi liceat militum quoque ſtipendia in literarum Magiſtros transferre!* Confer BALDUINUM *in Conſtantino M. p.* 130. LYCOSTHENIS *Apophthegmata*, *p.* 272. SAGITTARII *ſelect. Diſſert. p.* 259.

§. VIII. Ubi vero ipſamet Legis verba paulo accuratius inſpiciamus, mox quidem liquet, nihil arduum vel obſcurum iis ineſſe; adeoque ad ſuccinctam & dilucidam illorum expoſitionem non multum operæ deſiderari. Jubet autem Magnus ac indulgentiſſimus Imperator Medicis & Profeſſoribus (quibus & *legum Doctores* Tribonianus adjunxit) *Mercedes etiam & Salaria reddi:* atque id quidem in utilem ac ſalutarem huncce finem; *quo facilius liberalibus ſtudiis & memoratis artibus multos inſtituant.* Loquitur de *Mercedibus & Salariis. Merces* proprie eſt, quæ pro exæquatione & compenſatione operæ conſtituitur, & ſuper quam initio contractus ſolet conveniri, daturque pro ea exigenda actio locati. *Merces* eſt a *merendo.* Nam & *merere* dicuntur, qui mercedem ex ſuo labore, opera vel opere capiunt. Ex. gr. quod ex opera ſua accipit bajulus, id pro mercede eſt laboris, quem impendit. Adeoque *Merces* proprie eſt, quod quis ex merito capit pro re quam dedit, aut opera quam præſtitit. Vide SALMASIUM *de Uſuris*, *cap.* 5. *p.* 96. *Salarium* vero, quod alias & *Honorarium* appellatur, proprie ſignificat condignum præmium, quod honeſtioribus & nobiliorem operam navantibus, vel etiam operam beneficii loco præbentibus, remunerationis cauſa rependitur; daturque quando quis in ſe factum, quod locari non ſit ſolitum, & in utilitate publica conſiſtit, veluti inſtitutio bonarum artium, &c. ſuſcipit ac præſtat, & cui pro eo competit actio extraordinaria pro ſalario.

rio. Vide BOEHMERI *jus ecclef. Proteftant. tom.* 2. *p.* 467. §. 237. *&* *p.* 478. §. 254. Hinc *Merces* proprie dicitur remuneratio laboris, fine honoris exhibitione, quæ Mechanicis & quæftuariam vel fellulariam artem exercentibus conftituitur aut folvitur. Vide ALB. GENTILEM *de actor. & fpect. fab. cap.* 15. in GRONOVII *Thef. ant. Græc. tom.* 8. *p.* 1654. *Salarium* vero, quod viris in dignitate vel honeftiore loco conftitutis, ob officium publicum, vel ob liberalem artem præftatur. Confer GOTHOFREDUM *de falario, &c. cap.* 1. §. 5 *&* 6. *in Oper. jur. minor. p.* 212. *& feq.* & STYPMANNUM *de falar. Clericorum, cap.* 2. *p.* 81. Propterea autem quod *Merces* propria fua fignificatione communis Operariorum vox eft, qui hinc *Mercenarii* dicti, inde Græcis non minus olim ac Romanis nihil æque fordebat, atque Μισθȣ̃ feu *Mercedis* appellatio. Sic in POLLUCIS *Onomaft. lib.* 4. *cap.* 6. *Mercedes fumere, difciplinas vendere, Mercede fervire, Mercedem accipere, pecuniam flagitare, difciplinas proftituere, vendere, argento permutare, Mercede docere*, & fimilia, ut vilia ac vulgaria Sophiftica recenfentur. Quamobrem & SENECA *de Benef. lib.* 6. *cap.* 15. diferte diftinguit inter *Mercedem meriti* & *occupationis*, ubi exiftimat, Medicum & bonarum artium Præceptorem *Mercedem non meriti, fed occupationis fuæ ferre.* Verum enim vero vox *Merces*, a propria & originali ufu decedens, in honeftiorem quoque fignificationem transferri, deque omni ingenua officii vel præftiti operis remuneratione ufurpari cœpit. Atque eodem modo & ad fcholas tranfiit, ut indicaret præmium vel falarium, quod artium ac difciplinarum Præceptores pro docendi officio & opera accipere folitum eft. Sic CICERO *de Orat. lib.* 1. *cap.* 28. *Inque eo vel maxime probavi fummum illum Doctorem, Alabandenfem Apollonium, qui cum Mercede doceret, tamen non patiebatur, eos, quos judicabat non poffe oratores evadere, operam apud fefe perdere, dimittebatque.* Et 2. *Philip. cap.* 4. *Jam invideo Magiftro tuo, qui te tanta Mercede, quantam jam proferam, nihil fapere docuit.* Nec non *lib.* 4. *Academ. cap.* 30. *Minam Diogenes reddet. Ab eo enim Stoico dialecticam didicerat. Hæc autem Merces erat Dialecticorum.* JUVENALIS quoque *fat.* 7. *verf.* 157.

Noffe velint omnes, Mercedem folvere nemo.
Mercedem appellas? quid enim fcio? culpa docentis
Scilicet arguitur.

Sunt verba Poëtæ ad Rhetorem, ac ſi diceret, ſi Mercedem tui laboris petis, diſcipulus reſpondet: quid ſcio? Quinimo & de publico Honorario diſerte adhibetur a VITRUVIO, *lib.* 10. *cap.* 21. *Diognetus*, inquit, *fuit Rhodius architectus*, *& ei de publico quotannis certa Merces pro arte tribuebatur ad honorem.* Confer FRANC. JUNII *Catalog. Architect. &c. p. m.* 78. Eodem modo hæc vox & in jure ſolet uſurpari. Ita ULPIANUS, *L.* 1. *pr. de extr. cogn. Præſes provinciæ de Mercedibus jus dicere ſolet: ſed Præceptoribus tantum ſtudiorum liberalium.* Et *L.* 4. *π. ubi pupil. educ. deb. Juſſus eſt*, *alimenta pupillæ*, *& Mercedes*, *ut liberalibus artibus inſtitueretur*, *pupillæ nomine Præceptoribus dare.* Confer & *L.* 12. §. 3. *ff. de admin. & peric. tut.* Errant igitur, qui putant, (inter quos LAMPIUS *de hon. &c. Med. p.* 162. *&* 196.) Conſtantinum Imp. in noſtra L. & Ulpianum, *l. c.* hac voce abuſos fuiſſe vitio ſeculi; quum conſtet, honoratiore ſenſu etiam apud optimos Latinos ſcriptores ſic ſumi ſolere.

§. IX. Ad alteram vocem ut progrediamur, *Mercedes etiam iis & Salaria reddi* jubet Imperator. *Salarium* in jure ſpeciatim quoque definitur annua erogatio, quæ alicui ſui tuendi exhibendique gratia propter Profeſſionem liberalium artium ac diſciplinarum conſtituitur. Sic *L.* 16. §. 1. *D. de alim. leg. Uti publice*, *quod Medicus erat*, *Salaria ei præſtarentur.* Et *L.* 4. §. 2. *ff. de decret. ab ord. fac. Sed etſi Salarium alicui decuriones decreverint id nonnunquam ullius erit momenti: ut puta ſi ob liberalem artem fuerit conſtitutum*, *vel ob medicinam. Ob has enim cauſas licet conſtitui Salaria.* In PHILOXENI *Gloſſ. Salarium*, φιλανθρώπιον, ἁλατικὸν, συνήθεια: & Græci τὰ φιλάνθρωπα vocant mercedes, ſalaria, commoda, quæ quis pro navata opera accipit: ut in Græcis auctoribus paſſim τὰ φιλάνθρωπα hoc ſenſu legere eſt: Confer SALMASIUM *de Uſuris*, *cap.* 6. *p.* 150. *Salarium* autem *a Sale* originem habere, vel ipſius vocabuli ſono notum eſt, ut ait STEPHANUS, *in Theſ. ling. Lat. ad h. v.* quod ſcilicet ita neceſſarium ſit, ut in quotidiano uſu Sal homini, quo omnes pene cibi condiuntur. Confirmatur id auctoritate PLINII, verborum non incallidi inveſtigatoris, *lib.* 31. *cap.* 7. *Honoribus etiam*, inquit, *militiæque Sal interponitur*, *Salariis inde dictis.* Confer LANGII *Polymath. lib.* 3. *ſynopſ.* 24. *p.* 291. Hinc & Romæ *via ſalaria* vocabatur, per quam Sabini ſal a mari deferebant: de qua CICERO, *lib.* 3.

de

de nat. deor. cap. 5. At enim præsentes videmus deos, ut apud Regillum Postumius, in Salaria Vatienus. Confer FABRI *Semestr. lib.* 3. *cap.* 2. *p.* 24. Ita MARTIALIS, *lib.* 1. *epig.* 42. & *lib.* 4 *ep.* 86. *Salarios* dixit, qui salsamenta vendunt, ac vilissimos cibos. A *Salario* vocat ULPIANUS, *Salariarium mandatarium* eum, qui accepto Salario vel promisso mandatum suscipit, *L.* 10. §. 9. *mandati.* Verum quod novum est, & neque apud alios auctores, neque apud ipsos Jureconsultos usitatum. Vide DUKERUM *de Lat. Jurisc. vet. p.* 396. & MARTINII Lexic. *Philol. ad voc. Salariarius.* Ut vero omnes species, frumentum, vinum, oleum, &c. magistratibus, & officialibus, imo & militibus in Salarium dari solebant, sic præcipue sal illis subministrabatur, unde *Salarium* dictum est: non vero ut CUJACIUS *ad L. unic. C. de præb. salar.* argute magis, quam vere conjicit, quod *inde se alant.* Confer GOTHOFREDUM *de salar. &c. in Op. min. p.* 212. §. 4. BURMANNUM *de vectigal. cap.* 6. *p.* 92. STYPMANNUM *de salar. Cleric. cap.* 2. *p.* 77 *& seq.* Etenim olim Imperatorum Roman. temporibus publica *Salaria* non tantum in pecunia, publice conductis Magistratibus, Palatinis, Militibus, Professoribus solvebantur, verum in speciebus annonariis, cellariensibus, capito seu pabulo animalis, buccellato, vestibus, fructibus agrorum, id genus aliis: quod multis manifestum exemplis ac constitutionibus, quibus plena est historia Augusta, & uterque Codex Theod. & Just. Quinimo & ipse Plato publica Stipendia seu Salaria, non in auro vel argento, verum aliis in rebus exhibenda constituit: de quo videndus ARISTIDES, *Orat.* 2. *Platon. pro quatuorviris*, apud GOTHOFREDUM *de salar. cap.* 10. §. 1. Attamen perspicuum est ex *L.* 1 *&* 2. *C. de offic. præfect. præt. Afric.* & ex notitiis, quæ ibidem leguntur, Præfectis prætorio, Præsulibus, Proconsulibus, aliisque Salarium fuisse constitutum, quod iis in pecunia solvebatur pro annona & capite: id quod clarius fit per *L. unic. C. de annon. & capitat. administ.* Confer RANCHINI *var. lect. lib.* 1. *cap.* 16. in SCHMINCKII *synt. crit. p.* 32. LAMPRIDIUS quoque *in Alexandro Severo, cap.* 42. *Salarium* ab *Annonis* diserte distinguit: *Medicus*, inquit, *sub eo unus Palatinus Salarium accepit: cæteri omnes, qui usque ad sex fuerunt, Annonas binas aut ternas acceperunt, &c.* Ubi ita observat PET. FABER, *in not. ad Agonist. lib.* 2. *cap.* 20. *p.* 318. (vel in GRONOVII *Thes. antiq. Græc. tom.* 8. *p.* 2009

& seq.) *notandum*, *ab Annonis*, *quæ in speciebus præstarentur*, *distingui Salaria*, *quæ forsitan in pecunia numerata pendebantur*. Quanquam demonstret TURNEBUS *Advers. lib.* 18. *cap.* 20. *Annonam* cuique destinatam & assignatam *Salarium* dici. *Attamen*, addit, *latius patuit hoc vocabulum: significavitque non tantum eorum Annonam*, *verum etiam commoda & stipendium:* quod ex PLINIO & JUVENALI probat. Confer SAGITTARIUM *de Salario &c. p.* 230. & SALMUTH. *Not. ad Pancirolli rerum memor. lib.* 1. *tit.* 14. *p. m.* 40. Sed ne hisce immoremur, unicum hîc porro observandum venit, *Mercedes & Salaria* in nostra Lege conjungi, sicuti synonyma, ut dicunt, non vero ac si diversæ significationis modum indicarent: Equidem in confesso est, Medicis non solum, sed & Professoribus extraordinarii laboris *Mercedem* a singulis, præter *Salarium* publicum, deberi, ac præstitam olim fuisse, ut adhuc fieri solet: verum eo Lex proprie non intendit, utpote quæ de *Mercedibus & Salariis*, quæ e publico seu ex viribus Reipublicæ erant constituta, tantum agit: quæque varie in jure nominari videmus: non solum uti hîc *mercedes & salaria*, dicuntur, verum etiam *annonæ*, *honor* sive *honorarium*, *emolumenta*, *commoda*, *annonaria commoda*, *constituta summa*, *immunitates*, *&c.* Quanta autem Salaria illa fuerint, non quidem ex jure, sed ab historia, ut opinor, est petendum.

§. X. Hasce autem Mercedes & Salaria medicinæ, literarumque Professoribus *reddi* jubet Imperator: quod paulo accuratius inspiciendum. *Reddere* plerumque quidem sumitur pro *Dare*. Sic CELSUS *de verb. sign.* apud STEPHANUM *in Thes. ling. Lat. ad voc. Reddo*, inquit *Reddendi verbum*, *quanquam significatum habet retrodandi*, *recipit tamen & per se dandi significationem*. Verum hîc in Lege propria sua exhibetur significatione, pro ablatum vel acceptum Restituere: haud secus ac apud CICERONEM, *ad Atticum lib.* 10. *ep.* 11. *Sed si mihi Q. Axius H. S. XIII. non reddit*, *quæ dedi ejus filio mutua*. Et apud TERENTIUM, *Adelph. act.* 2. *scen.* 4. *Vers.* 15.

SY. *Reddetur*: *ne time:*
SA. *At ut omne reddat.* SY. *omne reddet.*

Sic & Imperator Constantinus jubet, Mercedes etiam & Salaria Medicis & Professoribus in civitatibus *reddi*, id est, restitui

seu

ſeu præſtari, quæ ſcilicet olim præſtita, aliquamdiu tamen aliquo prætextu iis denegata videntur. Reſpicit autem ſpeciatim Imperator id Salarium, ut diximus, quod a ſingulis civitatibus Profeſſoribus dari ſolitum ex viribus ſeu commodis Reipublicæ. De eo ſic LIBANIUS, *epiſt.* 132. *ad Eutocium*, *p.* 69. *noviſſ. edit. Det itaque Urbs per te Eudæmoni beneficium. Quodnam porro illud? Eſt hic ei, qui apud vos docet, honos a Principe decretus, ut Imperatoris ſumtibus alatur. Eum honorem parare argento cupientes ad vos reſpeximus, &c. A viro autem dicendi perito laudem pecuniæ loco exſpecta.* Confer GOTHOFREDUM *com. ad L.* 1. *C. Th. de Med. & Prof.* Atque ita mens noſtræ Conſtitutionis tota in eo conſiſtit, ut ſcilicet ab una parte Medicorum, Profeſſorum, Doctorumque dignitas omnino vindicetur a Muneribus civitatum, & a plebis injuriis, forique actionibus minus honeſtis: ab altera parte ut eorum commodis inſerviat, Salaria illis condigna conſtituendo. Quæ his procul dubio per injuriam a Civitatibus antea denegabantur: forte vel quia iis ſolvendis calamitate temporum non ſufficerent, vel quia ea præſtare ac ſolvere Chriſtianæ jam Civitates nollent Paganis Doctoribus, ut putat GOTHOFREDUS, *ad d. L.* Certe SYMMACHUS, (qui *lib.* 1. *epiſt.* 73. Profeſſoribus Romæ ſalarii emolumenta & annonas a Senatu decreta auctor eſt, ita tamen, ut id confirmaretur a Præfecto Prætorio Italiæ) nihilominus poſt tempora Conſtantini, & quidem ætate Valentiniani, Theodoſii & Arcadii, de ipſis Romanis Profeſſoribus, *lib.* 5. *epiſt.* 33. ſic ſcribit: *Romanæ juventutis Magiſtris detracta ſunt ſubſidia ſolennis alimoniæ.* At ſi id Romæ factum, multo magis in Provinciis, cum Imperii rebus ſimul labentibus & doctrinæ ſtudiis. Confer CONRINGIUM *de antiq. academ. diſſert.* 1. §. 23. *p. m.* 20. Quinimo Profeſſorum Salaria tractu temporis Romæ rediiſſe, liquet ex Epiſtola Athalarici, Gothorum regis, (qui in Italia imperavit paulo ante tempora Juſtiniani) ad ſenatum urbis Romæ, quæ exſtat apud CASSIODORUM, *lib.* 9. *epiſt.* 21. cum hac inſcriptione: *Quod provideatur Profeſſoribus liberalium artium de ſolitis ſtipendiis*: in qua ille: *Nuper ſiquidem, ut eſt de vobis cura noſtra ſolita, quorundam ſuſurratione cognovimus, Doctores eloquentiæ Romanæ laboris ſui conſtituta præmia non habere, & aliquorum nundinatione fieri, ut ſcholarum Magiſtris deputata ſumma videatur imminui. Quapropter cum manifeſtum ſit, præmium artes nutrire, nefas judicavimus, Doctori-*

bus

bus adolescentium aliquid subtrahi, qui sunt potius ad gloriosa studia per commodorum augmenta provocandi. Egregia equidem verba, perdigna sane, quæ in Potentium animis & memoria semper versentur! Deinde hunc in modum jubet Rex, ut *successor scholæ liberalium literarum, tam Grammaticus, quam Orator, nec non & Juris expositor, commoda sui decessoris ab eis, quorum interest, sine aliqua imminutione percipiat, &c. neque de transferendis, neque de imminuendis Annonis a quolibet patiatur improbam quæstionem, &c. Et ne aliquid*, ita pergit, *pro voluntate præbentium relinquatur incertum, mox ut sex menses exempti fuerint, statutæ summæ consequantur prædicti Magistri mediam portionem. Residua vero anni tempora cum Annonarum debita redhibitione claudantur. Ne cogantur de alieno pendere fastidio, cui piaculum est, vel horarum aliquod vacasse momento.* Nec alia mens fuit Constantino M. in nostra Constitutione, seu in tribus illis ab ipso editis, quas Cod. Theod. nobis servavit, & ex quibus nostra est confecta. Neque alia etiam Gratiano Imp. cujus exstat laudabilis Constitutio *L.* 11. *C. Th. de Med. & Prof.* qua studiis Gallicanis consultum voluit, certas justasque Annonas Grammaticis & Rhetoribus e fisco statuendo, seu e viribus Civitatum, ut recte interpretatur Gothofredus, in eruditissimo *comment. ad h. l.* Notandum autem, hac Gratiani Constitutione non nisi duo Professorum genera designari, Grammaticos videlicet, & Rhetores: quod inde factum, quia hactenus Galliarum studia steterunt, nec ullos Philosophiæ vel Juris Professores in Gallicis civitatibus docuisse constat. Sicut & Ausonius, paulo post illam Constitutionem, Professores hujus ævi Burdigalenses, Narbonenses, Pictavienses, Tolosanos *peculiari libro* commemorans, præter Grammaticos & Rhetores nullos alios recenset.

§. XI. Verum enim vero ut operi nostro, qualecunque illud sit, fastigium tandem imponatur, ne fortassis istos pictores imitari velle videamur, quos Apelles dicebat peccare, qui non sentirent, quid esset satis, non nisi hoc unicum restat observandum; quod scilicet statutæ *Mercedes & salaria*, æque ac prædicta *Privilegia* & *Immunitates*, ad universos omnino Medicos & Professores vel Doctores nequaquam pertinuerint: sed ad eos tantummodo, vel inprimis, qui in constituto erant numero, quique publica auctoritate conducti vel approbati, in regiis Urbibus, atque ubicunque in civitatibus & municipiis publi-

blice quoque docebant. Sic MODESTINUS *L. 6. §. 2. de excusat: Est autem & numerus Rhetorum in unaquaque civitate, qui vacationem munerum habent*, καὶ αἱρέσεις τινὲς προσκείμεναι τῷ νόμῳ: quæ in vulgata sic interpretantur, *& hæreses quædam propositæ lege.* ACCURSIUS & post eum etiam ANT. AUGUSTINUS hoc ad divisionem Urbium, de qua utique divisione in *epistola D. Pii* agitur, quæ mox subjicitur, retulere. Verum recte refutantur a CUJACIO, *ad d. L.* nec non a GOTHOFREDO *ad L. 3. C. Theod. de Med. & Prof.* Doctissimus Vir SAM. PETITUS longe aliam explicationem proponit, *Miscel. lib. 4. cap. 1.* vocem αἱρέσεις intelligens de variis Philosophorum Sectis, ac si hic definiretur, quænam Sectæ e tanto diversarum numero essent admittendæ: cujus opinionis levitatem confutatam quoque vide a GOTHOFREDO *ad d. l.* qui cum CUJACIO Græca verba recte ita vertenda existimat: *& conditiones quædam lege additæ*, seu *lege propositæ.* Etenim præter Numerum & has Conditiones Lex proponit, ut scilicet Professores & Medici, qui in unaquaque civitate vacationem munerum haberent, probentur decreto ordinis; ut fungantur suo munere sedulo; & ut in sua quisque patria, non in aliena, doceant. Sic enim §. 4. *Et utique non aliter de immunitate hac fructum habebunt, nisi decreto Senatus inscripti fuerint numero concesso, & circa operationem se negligenter non habeant.* Et §. 9. *Amplius & illud scire oportet, & eum, qui in patria propria docet, aut medicatur, immunitatem hanc habere. Si enim existens Comaneus in Cæsarea doceat, aut medicetur: apud Comanenses immunitatem non habet. Et hoc ita promulgatum est a Divo Severo & Antonino.* Atque præter Numerum hæ tres Αἱρέσεις, seu *Conditiones* Lege sunt additæ vel propositæ, quibus Professores & Medici adstricti erant, qui concessa immunitate fruerentur. Oportebat non tantum, ut Grammatici, Rhetores & Medici in constituto essent numero: verum quoque, ut Senatus decreto essent probati, seu ei numero legitimo modo inscripti. Præterea ut probe & sedulo suo munere fungerentur, & se adolescentibus utiles præberent. Alioquin denuo reprobari ab eodem ordine poterant. Sic *L. 2. C. de Prof. & Med. Grammaticos seu Oratores decreto ordinis probatos, si non se utiles studentibus præbeant, denuo ab eodem ordine reprobari posse, incognitum non est.* Nec aliter circa Medicos constitutum, *L. 6. §. 6. D. de excusat.* & *L. 11. §. 3. π. de mun. & hon.* Sed hoc nunquam nisi ex causa fiebat, & si ad publi-

eam utilitatem respiceret rescissio prioris decreti, per *L. 5. ff. de decret. ab ord. fac.* Denique ut in patria sua docerent ac medicarentur, non in aliena. Duplex autem illis æque ac cæteris erat patria: propria nimirum, unde oriundi: & communis, veluti Roma, *L.* 33. *π. ad municip. L. ult. pr. de interd. & releg.* & MODESTINUS *d. l. de excus.* §. 11. Qui enim Romæ docebant, etiam si ibi non nati essent, immunitate tamen gaudebant, sive salarium haberent, sive non. Sic *L. 9. pr. π. de vac. & excus. mun. Eos, qui Romæ profitentur, proinde in patria sua excusari muneribus oportere, ac si in patria sua profiterentur.* Etenim in orbe Romano qui sunt, ex constitutione Imp. Antonini cives Romani effecti sunt, per *L.* 17. *ff. de statu hom.* Verum hîc notandum ex §. 10. *d. l.* MODESTINI *de excusat.* eos, qui valde disciplinis instructi essent, propter excellentiam præstantiamque doctrinæ, etsi supra numerum, & in aliena patria moram facientes, immunitate tamen donari posse. Ex quo liquet, quamvis magis quidem extraordinarius fuisse hic honor videatur, non semper Numerum lege constitutum adeo sollicite esse servatum; nec etiam ultimam Conditionem, ut scilicet in patria docerent. At duæ reliquæ Conditiones utique ratæ atque firmæ semper manebant, ut videlicet nullus unquam Professor vel Medicus publicis privilegiis frueretur, nisi qui decreto ordinis probatus, munere suo sedulo fungeretur. Postremo ad ipsum constitutum Numerum quod attinet, de eo sic MODESTINUS, *d. L. Minores quidem civitates possunt quinque Medicos immunes habere, & tres Sophistas, & Grammaticos totidem. Majores autem civitates septem, qui curent, quatuor qui doceant utramque doctrinam. Maximæ autem civitates decem Medicos, & Rhetores quinque, & Grammaticos totidem. Supra hunc autem numerum ne maxima quidem civitas immunitatem præstat.* Quare illum numerum excedere per §. 3. non licebat, neque sententia Senatus, neque alia quadam adinventione. At minuere quidem licitum erat, in favorem civilium munerum. Atqui hæc tantum de Medicorum & Professorum numero. De Philosophis autem ita statuitur, §. 7. quod *eorum numerus non sit constitutus, quia rari sunt qui philosophantur.* Attamen illos, æque ac Rhetores, Grammaticos & Medicos, immunes quoque fuisse ex Hadriani Imp. Constitutione, (quæ supra *Cap.* 8. a nobis explicata est) diserte docetur §. 8. Inprimis Romæ philosophantes, cum salario, vel sine salario, remissionem quoque habe-

habebant, ita ac si in propria patria docerent, per §. 11. At vero Legum Doctores MODESTINI ævo, per §. 12. in aliquo præsidatu docentes, remissionem non habebant: Romæ autem docentes a tutela & cura remittebantur. Veruntamen per *nostram Legem* iis, una cum Medicis ac Professoribus, plena Immunitas quoque collata est. Atque ita de designato Numero apud MODESTINUM. Ex constitutione autem Theodosii, in *L. unic. C. de stud. lib. urb. Rom.* de qua antea *cap.* 7. §. 7. 8 *&* 9. egimus, Romæ & Constantinopoli alius definitur Numerus: tres scilicet Oratores, decem Grammatici, quinque Græci Sophistæ, Grammatici æque decem; unus Philosophus, & duo Jurium Professores. Qui vero hoc constituto Numero comprehendebantur, & Remissionem habebant, & e fisco seu ex viribus Reipublicæ statutas Mercedes & Salaria accipiebant. Plura addere nunc non libet, ne extra certos nobis constitutos fines terminosque nimio plus egrediamur. Absolvimus itaque, quæ in hac Dissertatione de artium ac disciplinarum Doctoribus, deque eorum Privilegiis & Salariis, nobis exponenda proposueramus.

Ex omnibus, quæ super elegantissimam Legis materiam dicta sunt, abunde sane liquet, quantam olim impenderint Principes ac Magistratus operam & curam, imo & solicitudinem, ad nutriendas Artes Scientiasque, atque ut in Reipublicæ regionibus ac civitatibus ab optimis Magistris ubicunque adolescentium animi probe iis erudirentur. Quod compluribus antiquorum exemplis facile esset confirmandum, quorum pauca tantum attingere, atque in medium hîc proferre, ab instituto nostro neutiquam ducimus alienum: idque eo minus, ac quidem ratio postulet, ut excussa aliqua materia, in fine quædam de Usu thematis pertractati, epilogi quasi modo, adjici soleant, ne videatur otiose suscepta esse disputatio. De quo confer BÖHMERUM, *de methodo disputandi, &c. p.* 73. Inprimis hîc merito nobis memorandus venit Fridericus Ænobarbus, Germaniæ Imperator fortissimus, Princepsque prudentissimus, qui an. salutis 1158. celeberrimam tulit Constitutionem, molesta quidem pro more illius ævi verbositate laborantem, nec ullam habentem orationis illecebram, ob summam tamen utilitatem nequaquam

fastidiendam, quam & in ipsum Constitutionum Codicem inseri jussit, ut major illius esset auctoritas, magisque perpetua memoria, sub titulo, *Ne filius pro patre:* in qua Authentica, ut Studiis in Reipublicæ perniciem misere dilapsis, atque crassis illis temporibus in dies magis prolabentibus, omni modo succurreret suppetiasque ferret, egregia Scholaribus privilegia contulit; quorum primum & summum illud esse intelligimus, ne qua pro alio oppignoratione, ac veluti manus injectione, Scholastici tenerentur, aut vexarentur. Quum autem barbara illa tempora pessimum hunc morem in usum revocaverant, novo fuit opus privilegio, ut saltem Scholastici hoc vinculo vinciri, & a studiis abduci non possent. Alterum hujus Legis caput ac privilegium est, ne litium occasione distraherentur Studiosorum conventus, aut illi iniquis judiciis exagitarentur: verum si qua lis exoriretur, possent sibi judicem deligere, vel Doctorem suum, vel Episcopum. Quod & Clericorum erat privilegium: imo & Militum, qui si litigandum esset, ne a suis signis avocarentur, Ducem suum habebant judicem. Nec deteriori vel loco vel conditione Studiosos religionis atque literarum haberi placuit præstantissimo Imperatori. Confer BALDUINUM *Constant. M. p.* 136. Etenim nec sine Scholis, in quibus literarum disciplinarumque studia exercentur, Rempublicam, quam constituebat, diuturnam esse aut firmam; nec ipsas Scholas sine singulari præsidio diu consistere aut florere posse, facile intelligebat optimus Princeps. Fuit autem ipsi ante oculos positum laudabile Lotharii Imp. exemplum, qui paulo ante jusserat, libros Juris Civilis in lucem revocatos publice prælegi. Atque Caroli M. etiam, qui debellatis Longobardis & Papiæ scholam instituerat, & Bononiæ academiam instauraverat. Ut alia silentio prætereamus. Confer REINHARDI *theatr. prud. elegant. p.* 721 *& seqq.* Inde docti homines, qui ingenio & eruditione pariter ac virtute excellebant, Viris Principibus in summis deliciis semper habiti fuere, atque magnis honoribus & beneficiis ab illis affecti. De Sigismundo Imp. tradit ÆNEAS SYLVIUS *apud* LYCOSTHENEM *in Apophthegm. p. m.* 272. quod Viros eruditione præstantes semper ornare, ac provehere studuerit: & quum hoc nomine a Germanis Principibus, qui Latinas literas oderant, reprehenderetur, quod homines obscuro genere natos ob literarum commendationem adeo foveret, eum ita illis respondisse: *Quidni eos amem, quos natura cæteris antecellere voluit?* Ingenue profecto haud minus ac sapien-

pientissime dictum ! Alphonsus etiam Hispaniarum Rex, sapientis elogio insignitus, maximopere eo celebratur, quod studia & literas doctosque viros flagranti cupiditate atque omnibus officiis adeo prosecutus fuerit, ut dicere soleret, *se malle privatim vivere, quam eruditione carere.* Hic & Astronomos præstantissimos, Hebræos & Mauros convocavit, qui *Tabulas Alphonsinas* confecerunt, quam in rem ad quatuor quidem centena millia aureorum fertur expendisse. Confer CALVISIUM *ad an. C.* 1252. & MAGIRI *Eponymol. crit. p. m.* 34. Egregium studiorum ac litteratorum Mæcenatem præbuit se quoque Franciscus I. Galliarum celeberrimus Rex, cui in proverbium fuit, *Regem illiteratum asinum esse coronatum.* Vide LYCOSTHENIS *Apophthegm. p.* 273.

Verum omissis aliis recentioris ævi exemplis, quid olim apud Græcos & Romanos in literarum studiis præstiterint Cæsares Regesque, & quomodo se adversus Viros doctos gesserint, hujus rei omnimoda expositione Dissertatio nostra, qualiscunque ea sit, undique quidem est referta: attamen & restant multa insignia ac laudabilia, quæ huc referri possent. Illustrata enim Græcia fuit disciplinis, & ornata sapientibus, veluti sideribus coelum. Quos interea Principes civitatum, quos Reges illa provincia tulit, unius ope Philosophiæ? quæ ea moderatione Græcos homines temperavit, ut cæteri Barbari dicerentur. Quam infamiam & ignominiam ut fugerent Romani, omnium gentium omnium populorum victores, dum eorum Respublica magis floruit, quotidie magis studia coluerunt, & Humanitatis nomine appellarunt, quod e fera agrestique vita ad humanum cultum civilemque deducerent: sine quibus qui essent, monstra essent humana specie & figura. Confer AON. PALEARII *Orat.* 8. *de optimis Studiis, p.* 138. Silentio autem prætereunda non est vetustissima illa Lex Charondæ, quæ amplius quidem non exstat, sed cujus meminit DIODORUS SICULUS, *lib.* 12. *ad an. M.* 3526. *Aliam præterea Legem*, inquit, *jam recitata præstabiliorem, sed a vetustis legumlatoribus etiam posthabitam, sancivit, ut omnes civium filii in bonis literis instituerentur, civitate stipendia Magistris erogante. Prospexerat enim illos, qui præ inopia rei familiaris minervalia solvere nequirent, honestissimæ institutionis fructu carituros, &c. Unde homines illiteratos, ut summis bonis destitutos, ad meliorem ille cultum hac sanctione revocavit, & publica illos cura impensaque erudiendos censuit. Itaque tanto superiores legumlatores, qui publica mercede Medicos sanandis privatorum morbis condu-*

cendos esse sanxerunt, (*prudentia*) *antegressus est*; *ut illi corporibus medelam adhibendam censuerint*; *ipse animos inscitiæ morbo vexatos curavit. Et sane Medicorum ope nonnunquam nos opus habere optamus: at cum eruditionis Magistris per omnem versari ætatem maxime cupimus.* Etenim multo cuidam majus beneficium conferet, qui inscitia liberaverit animum, quam qui ægritudine corpus. Inde Aristoteles, qui rogatus, *Quo differrent docti ab indoctis?* *Quo*, inquit, *viventes a mortuis. Parentes*, dicebat, *qui liberos erudiendos curassent*, *longe honorabiliores esse his*, *qui solum genuissent. Hos enim vivendi tantum*, *illos etiam bene beateque vivendi auctores esse.* Vide DIOG. LAERTIUM, *in ejus vita*, *lib.* 5. *segm.* 19. Atque alios est procreare quidem corpore, alios verò anima. Nam apud barbaros quoque Philosophos, per auditum instituere & illuminare, dicitur regenerare, ut docet CLEMENS ALEXANDRINUS, *lib.* 5. *Stromat. p. m.* 552. Et profecto dum Leges atque Principes inter populos dominantur, habent quidem corpora, & externos mores facultatesque hominum in sua potestate: verum literarum ac sapientiæ Præceptores imperant animis, atque sola ratione efficiunt magnos Viros. Velut de Alexandro M. refert PLUTARCHUS *in ejus vita*, *p.* 667. quod is in prima juventute *rationibus prompte ad officium duceretur.* At quantus ille Vir! qui plures victorias quam annos numeravit, cujus immensæ mentis capacitati unus Orbis non suffecit. In tanta tamen expeditionum ac triumphorum mole literas quoque respexit, & Homerum lectitavit assidue, ac pulvino jubjecit, noctesque quieti subduxit. Quod nemini mirum sane videbitur, dummodo consideret, magnum illum Principem magni Aristotelis auditorem fuisse atque alumnum: quem suum Magistrum tanta etiam veneratione prosequebatur, ut dicere de eo soleret, *Se illi non minus*, *quam Patri debere*, *quod quidem a Patre vivendi*, *a Præceptore bene vivendi initium accepisset.* Sic & Diogenes Cynicus, aliquando in servitutem redactus, quem quum emere vellet Xeniades Corinthius, & quid is artificii novisset percunctatus, *Novi*, inquit, *hominibus liberis imperare.* Quod responsum Xeniades demiratus, emit eum & manumisit; filiosque suos ipsi ut Præceptori tradens, *Accipe*, dicebat, *liberos meos*, *quibus imperes:* ut nobis auctor est GELLIUS, *lib.* 2. *cap.* 18. ac LAERTIUS, *lib.* 6. *Segm.* 74. qui tamen rem paulo secus tradit. De Lacone quodam pædagogo narrat PLUTARCHUS *in Lacon.* quod pueri cura suscepta, cum interrogaretur, quid esset illum docturus? ita responderit: *Efficiam*

ciam

etiam ut honestis delectetur, turpibus offendatur. Nihil enim efficacius ad veram felicitatem, quam virtutem propter se amare, & vitium odisse propter se: ideoque boni Præceptoris est, intendere totum animum, atque omnem curam operamque, ut quæ sunt honesta, eadem pueris fiant etiam magis in dies jucunda. Cui respondet QUINCTILIANI monitum, *lib.* 1. *cap.* 8. *Teneræ mentes non quæ diserta, sed vel magis, quæ honesta sunt discant.* Verum uti non satis est soli bonitas, nisi accedat & cultor idoneus, & semina: ita non sufficit quoque ingenii felicitas, nisi accedat doctor & institutor egregius, & præcepta idonea. Etenim ad Doctoris officium pertinet, nihil eorum quæ ad persuadendum facere possunt prætermittere, ut recte monet ISIDOR. PELUSIOTA, *lib.* 4. *epist.* 205.

Verum enim vero etsi Sapientiæ & Artium & Doctrinarum thesauris nihil toto orbe pretiosius est, inventi tamen ubique semper sunt homines vilissimi ingenii, adque fallendum adeo parati, ut omnis omnino Eruditio plane istis contemnenda videatur; quique universos sui similes esse cupiant, quo magis privata eorum inscitia sub communi deliteat, nec quisquam illam prodat & arguat: perinde ac de Licinio tradit VICTOR in *Epitom. cap.* 41. *infestus literis, quas per inscitiam immodicam virus ac pestem publicam nominabat, præcipue forensem industriam.* Recte hujusmodi homines κουφότεραι ἀπειράτων φρένες, *leviores inexpertorum mentes* dicuntur a PINDARO, *Olymp. od.* 8. quibus merito exprobrandum illud Diogenis, apud LAERTIUM, *lib.* 6. *segm.* 65. qui dicenti cuidam, idoneum se ad Philosophiam non esse, *Quid ergo* inquiebat *vivis, si ut bene vivas nulla tibi cura est?* Ecquid verò, quod bestiæ quædam institutione cicures fiunt, & a disciplina non abhorrent? Ergo feræ ad artes adhærescent, & fient mitiores: rationis autem participes homines studia rejicient atque contemnent, quibus fieri possent meliores? Quis adeo vecors, adeo segnis est, ut rei hujus indignitate prorsus haud irritetur? Equidem tam procul abest ab instituto & instinctu sanæ rationis, ut nihil magis ipsi possit esse contrarium. Eheu! quam deplorandus hominum status, atque in peiora continuo ruens, cui nefanda ista sapientissimi eloquentissimique PETRARCHÆ, *lib.* 2. *epist.* 10. querimonia facile sit applicanda: *Publicum malum est, quæ negligi sine periculo poterant, certatim quærimus: quod apprime curandum erat, publice negligitur. Quam fertilis ager,*

quam

quam domus composita, quam obsequiosus servus, quam sollicitus procurator, quam splendida vestis, quam nitidus equus, quam pulchra uxor, quam nostri corporis ornata superficies, omnes curamus: Quam pulcher & ornatus animus, curat nemo, nec se curaturum spondet, aut sperat: sed quod primum esse debuerat, differimus ad extrema? Attamen verissimum illud Aristippi apud LAERTIUM, *lib.* 2. *segm.* 70. *Melius esse in mendicum evadere, quam indoctum. Illic enim pecuniis, hic humanitate indigeri.* An non vel ipsa experientia nos satis docet, eos, qui studiorum ac literarum prorsus sunt ignari, & bonorum morum plerumque se prodere expertes? In nullo itaque alio genere exercere liberalitatem suam Principes, atque in magnis rebus positi nobilius queunt, quam si præclara ingenia foveant producantque benigne, & nulli parcant sumtui, quo Artes & Sapientiæ studia non ab interitu vindicentur tantum, sed incrementa egregia in dies etiam capiant. Iis enim solis sublatis, aut in contemtum adductis saltem, quæ religio, quæ honestas, quis cultus & elegantia vitæ erit super? Qua de re plura lege apud BUCHNERUM *in Dissert. Acad. p. m.* 691. Profecto omnia longe pessum eunt, ubi verus cultus Numinis & pietatis cura maxime friget: nec felix esse populus unquam potest, ubi sublatis studiis humanioribus, & cum illis etiam honesto & æquo, omnia pro cæca libidine administrantur. Quo circa eo magis afflictas patriæ res existimandum est, quo magis Literæ atque Artes periclitantur, neglectis vel deficientibus iis, qui illas doceant & tradant, quique Sapientiæ ac Pietatis semina instillare animis, eosque fingere ad veram frugem præcipue calleant. Quod optime equidem intelligebat Imp. Augustus, de quo SUETONIUS narrat *in ejus vita, cap.* 42. cum magna quondam sterilitate, ac difficili remedio, venalitias & lanistarum familias, peregrinosque omnes, *exceptis Medicis & Præceptoribus*, urbe expulisse. Nec mirum, nam circa ejus ævum & deinceps *magnam etiam Professorum ac Doctorum profluxisse copiam, adeoque floruisse, ut nonnulli ex infima fortuna in ordinem Senatorium, atque ad summos honores processerint*, auctor nobis *idem* in lib. *de clar. Rhetorib. cap.* 1. Quanti etiam doctos Viros ac Præceptores omnium disciplinarum æstimaverit Antoninus Philosophus, quantisque honoribus & beneficiis illos affecerit, apud CAPITOLINUM *in ejus vita, cap.* 2. & 3. diserte ac prolixe est legendum. Sic & parens Alexandri M. tanti fecit Aristotelem, Philosophorum clarissimum

mum

mum eruditiſſimumque, cui inſtitutionem & expolitionem filii credidit, ut Stagiram ejus patriam, quam exciderat, iterum frequentaverit incolis, civesque qui in exilio aut in ſervitute erant, reduxerit domum; & ludum iis & ſtudii locum Nymphæum prope Miezam aſſignaverit: ut refert PLUTARCHUS, *in vita Alexandri M. p. m.* 668. Et ſane quam ſalutarem operam ac magnum commodum præbere aliquando valeant cæteris civibus docti homines, vel unico Platonis exemplo hîc facile illuſtrandum; qui Mathematica ſua doctrina Rempublicam a perniciofa lue longe lateque graſſante, feliciter liberavit. Nam cum Athenas ſæviſſima popularetur peſtilentia, neque remedium ullum humana poſſet afferre induſtria, quod in extremis fieri malis aſſolet, Apollo conſultus eſt: qui ita demum peſtis liberationem fore reſpondit, ſi aram, quæ cubica erat, duplicarent. Cum illi cubum applicaſſent cubo, & ſe Apollinis mandatum putarent diligenter curaſſe, nihilominus tamen peſtis crudeliter ſæviebat. Quid multis? rem tandem ad Platonem ut doctiſſimum geometram detulerunt, qui nihil moratus oraculum explevit. Nam eorum molitionem inanem oſtendit fuiſſe, cum applicatione alterius cubi cubum non duplicaſſent, ſed quadratum effeciſſent. Cubi autem geminationem exiſtere ex inveſtigatione lineæ medianæ. Vide PLUTARCH. *de Socratis genio*, *p.* 579. TURNEBI *præfat. ad Timæum Platon. in tom.* 3. *Op. p.* 47. & STANLEII *Hiſt. Philoſ. par.* 4. *cap.* 7. *p.* 294. Multa equidem huc afferri poſſent, verum hoc tantum dicam, quod neminem negaturum arbitror, verè quidem haud poſſe ſcio, neque templa, nec ſcholas, nec curiam, nec tribunalia, nec ullam denique adminiſtrationis publicæ partem idoneos homines eſſe habituram, niſi ab ineunte ætate recte inſtituantur, qui munerum olim alicui præficiendi ſint. Confer HEIDMANNI *Dedicat. libri Caſelii de Ludo Litterario*, *&c.* Sane contemtis ac dilapſis Scholis Litterisque, quæ vel ſacræ ſunt, vel quæ humaniores dicuntur, non multo poſt Eccleſia laborabit penuria fidorum Miniſtrorum; Principes atque Magiſtratus deſtituentur ſapientibus Conſiliariis; ægris deerit peritorum Medicorum copia; & (quod fertur *Jani Gruteri*, Criticorum ſui temporis facile principis, triſte fuiſſe præſagium) propediem amiſſa meliori Literatura, non niſi Theologaſtri, Leguleii, Medicaſtri ſupererunt; atque ita non ſentientibus nobis elabetur e manibus prior illa Studiorum dexteritas felicitasque,

& natio noſtra Barbarie, non quidem vetere illa ſimplici ac rudi, ſed multo nocentiore, quippe quæ vanæ ſcientiæ opinione tumet, opprimetur. *Nihil magis*, (inquit CASALIUS *de Urb. ac Rom. imp. ſplendore*, *p.* 419.) *barbariem, vim, perfidiam, hæreſim, atheismum, & omnium confuſionem parit, quam Scholarum & Academiarum defectio.* Nec alia fuit LIPSII de ſuo tempore querimonia, *Epiſt. Quæſt. lib.* 4. *epiſt.* 21. ubi aſſerit, *inter primas cauſas corruptæ Reipublicæ contemptum eſſe Doctrinæ. Quis e noſtra juventute*, inquit, *legitime inſtituitur in Litteris? Quis Oratores aut Philoſophos tangit? Quis Hiſtoriam legit, illam rerum gerendarum quaſi animam? Præcipitant enim parentes vota ſua, & pueros vix ſeptuennes protrudunt ad Juris ſcientiam. Scilicet omnibus artibus antiſtat ſpes lucri, & formoſior eſt nummus auri, quam quidquid Græci Latinique delirantes ſcripſerunt. Ex hoc numero deinde veniunt ad gubernacula Reipublicæ: interſunt & præſunt conſiliis Regum. ô pater, ô patria!* Sic & olim TULLIUS de corruptis ſui ævi moribus, *lib.* 2. *de divin. cap.* 2. *Quod enim munus Reipublicæ afferre majus meliusve poſſumus, quam ſi docemus atque erudimus Juventutem? his præſertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapſa eſt, ut omnium opibus refrenanda ac coërcenda ſit.* Verum enim vero cui magno incommodo parum remedii adhiberi exiſtimandum eſt, dum ſat ſuperque habetur aliquando, ſi juventus primordia ſtudiorum, & diſciplinarum quaſi præcurrentia leviter tangat, ac dein more majorum honores atque gradus iis tribuantur: non ſecus forte, ac lepida iſta exponitur narratiuncula de Juvene quodam, qui cum jam publice in Italia renunciandus Doctor, Jureconſultum quendam, multis citatis Auctoribus, hæc verba ſubnectentem audiret: *Ita ſenſit Alexander de Immola, ac ſequaces:* quæſivit ex vicino, *Quis eſt ille Sequaces?* Vide DILHERRI *Icar. Academ. orat.* 1. Lectu quoque digniſſima eſt elegantiſſima MORHOFII Oratio, *de Literarum in Rep. utilitate*, ubi *p.* 189 *& ſeq.* nefandum Studiorum neglectum vivis ita depingit coloribus: *Conferte jam veterum temporum fortunam ac gloriam, cum horum temporum injuriis moribusque perditis: florebant tunc res noſtræ: nunc illæ deſtitutæ, afflictæ, everſæ. Erat ſuis Literis decor & ſplendor: nunc alta illarum contemptio ac deſpicientia. Non deerant juſta laboribus præmia; non præmiis æquitas: quid nunc exſpectes niſi damna; & rei familiaris naufragia? Non tum animis & ingeniis aberant honorum pabula: nunc illa vel corpori ſubtrahuntur,*

imo

imo si dicere fas est, perpetua illis jejunia indicuntur.

Quamobrem si proprium maximumque Imperantium munus est, saluti & securitati publicæ rei advigilare perpetuo atque studere; nihil iidem æque pensi habere debent, quam ut Doctrinæ liberales floreant, & qui in iis dediti, habeantur benigne: ut alii quoque ad cultum earum excitentur, nec unquam desint, qui præclara egregiaque Studia capessere velint. Vide quæ BARCLAJUS *in Argenaut. lib.* I. egregie disserit, de cura Principis circa omnis generis eruditos & artifices conquirendos. Et elegantissimam Orationem MORHOFII *de Otio sapientibus dando*, qua, postquam qui vere Sapientium nomine digni sint, exposuit, e republica esse ostendit, *p.* 174 *& seqq.* His tale parari Otium, ut sine curis rei familiaris Sapientiæ studiis vacare, & æquo animo iis commodis, quæ vita practica secum fert, carere possint. Inprimis verò Magistratus industria in eo vigere debet, ut institutio juventutis bene se habeat, quum futura Respublica huic negotio innitatur, omnisque salus posteritatis exinde pendeat. Non tantum quidem in eo res est, ut ludi scholæque per civitates juventuti constituantur, ubi liberalibus studiis totam se tradere possit, & præcepta Doctrinarum explicentur: verum etiam singulari diligentia prudentiaque providendum est, ut Institutio ubique semper quam optimo fiat modo, atque sapientissimorum Virorum ratione suscipiatur, quam per tot secula clarissimorum hominum testimoniis ac judiciis comprobatam cernimus; eorum maxime, a quibus omnis Sapientia ad nos pervenit. Etsi enim Magistratus multa cum laude sumptus erogent; licet etiam adolescentes omne tempus ad capiendum ingenii cultum ponant; maximam partem tamen omnis labor frustra erit, nisi & recta via ac fideli manu ad Literas & Doctrinas ducantur. Qua de re legi omnino merentur undique collecta *Doctissimorum Virorum judicia, de emendanda Juventutis institutione, edit.* 1692. *in* 12. Quantam verò curam ac diligentiam Romanæ eloquentiæ pater huic negotio adhibuerit, vel ipsemet testatur, ubi *lib.* 2. *de divin.* sic exorditur: *Quærenti mihi, multumque & diu cogitanti, quanam re possem prodesse quam plurimis, ne quando intermitterem consulere Reipublicæ, nulla major occurrebat, quam si optimarum Artium vias traderem meis civibus: quod compluribus jam libris me arbitror consecutum.* Et profecto præter Reipublicæ salutem, nulla etiam res in magna potentia positis constantius fideliusque æternitatem nominis,

quod unum insatiabiliter ferme appetunt mortales, quam Literarum cultura pollicetur. *Harum* autem *beneficio*, eloquentissimus inquit orator BUCHNERUS, *in Dissert. Acad. p.* 691. *vivunt adhuc*, & *in memoria temporum durant*, *qui antiquissimis seculis obierunt diem excellentia virtutum* & *maximis rebus gestis incliti atque illustres. Nisi enim praeclari Scriptores, quae domi forisque egerant, commendassent annalium fidei*, & *intercidissent facta illorum*, & *nomina ipsa ignorarentur.* Quibus addere libet dignissima, nec minus elegantia verba PALEARII, *in orat. de opt. Studiis*, *p.* 139. *Vere mihi*, inquit, *illud dicere videor*, *beatas esse Respublicas*, *quas docti* & *sapientes homines regant: beatas esse civitates*, *in quibus earum Principes omne suum studium in doctrina* & *sapientia collocent. Dii certe appellandi sunt*, *qui civibus*, *qui finitimis*, *qui externis prosunt vel inventione vel restitutione Disciplinarum. Quae gloria potest esse major? quae illustrior? quae firmior sempiternis seculorum aetatibus*, *quam amari ab omni hominum genere fama meritorum.* Atque nunquam sane ulla in re major fuit consensus optimorum hominum, quibus Sapientiae & Doctrinae in summis semper fuêre deliciis, quique illas secuti sunt ac coluêre, veluti artem & regulam bene vivendi, ad quam omnes omnino actiones dextrè dirigantur. Ad illud unum strenue defendendum mirabiliter conspirant universi, videlicet, *eô demum fortunatas urbes fore*, *si regna Sapientiae sint:* quod effatum VICTORIS *de Caes. cap.* 15. At cum tanta hujus rei vastitas sit, ut modica oratione omnia non possint comprehendi, age rem omnem jam Lectoribus, si qui tamen futuri sunt, qui haec nostra legere & pervolutare dignabuntur, in manus committamus, & rogemus, quod demisso animo facio, ut laborem hunc qualemcunque aeque ac benigne accipere inque suam utilitatem omni meliori modo convertere velint.

F I N I S.

THE-

T H E S E S.

I.

Invecta & illata in prædium rusticum tacito pignori non sunt obligata.

II.

Qui in contractu bonæ fidei ab eo ipso, quocum contraxit, qualicunque dolo vel metu læsus est; si læsus id velit, contractus ipso jure nullus est, adeo ut in integrum restitutione opus non sit.

III.

De controversiis, quæ ex ultima voluntate proficiscuntur, transactio, etiam ante inspectas testamenti tabulas inita, valet.

IV.

Adolescentes velint nolint sub curatore esse debent.

V.

Si quis per errorem juris indebitum solverit, condictio indebiti regulariter non habet locum, licet id, quod solutum est, nullo modo naturaliter fuerit debitum.

VI.

Periculum & commodum rei venditæ etiam ante traditionem pertinet ad emptorem.

AAN DEN

WELEDELEN GESTRENGEN

HEERE,

JOHAN ADRIAAN BICHON,

President Scheepen van den Ed. Hove en Hooge Vierschaar van Schieland: Secretaris van Beukelsdyk, Oost- en West Blommersdyk, genaamt Kool.

By zyn Weled. Gestr. bevordering tot Meester in de beide Regten,

Op den 7den van Sprokkelmaand des Jaars 1764.

KLINKDICHT.

Daar ge ons, doorschrander Heer, het gunstig voorregt toont,
Dat der Geleerdheid is door 's Keyzers Wet beschooren;
Ziet gy dien blyden dag, dat welkome uur gebooren,
'T welk uw besteeden vlyt en Letteroeff'ning loont.

Geluk, dus laat myn ziel, daar gulle vreugde in woont,
Zig, waardige ADRIAAN, by uw bevord'ring hooren;
Wen zy door Vrienden pligt heur yver aan voelt spooren,
Geluk, driewerv geluk, nu Themis zelve u kroont!

Terwyl en weez en weeuw in U haar voorspraak vinden,
'T zy gy voor 't heilig Regt de hooge Vierschaar spant,
Of 't eer'loos onbescheid uit de agt'bre pleitzaal bant:

Moet ge eens de schoonste Schoone aan uwe Deugd verbinden!
Zo blyve uw voorspoed en het welzyn van uw Stam
De Vreugde en toeverlaat van 't magtig ROTTERDAM.

C. TYKEN,
J. U. Cand.

TER

TER BEVORDERING

VAN DEN

WELEEDELEN GESTRENGEN

HEERE,

JOHAN ADRIAAN BICHON,

Prefident. Scheepen van den Ed. Hove en Hooge Vierfchaar van Schieland, en Secretaris van Beukelsdyk, Ooft- en Weft Blommersdyk, genaamt Kool.

TOT MEESTER DER BEIDER RECHTEN.

Op den 7den van Sprokkelmaand 1764.

Vergat de Wysheid oit een recht geaarte Zoon,
Die haare borften zoog, op 't tederft te beminnen?
Of yverde iemand te vergeefs, die ziel en zinnen
Verpandde, om haare gunft en licht en loon en kroon
Op Naerftigheid te winnen?

Neen zeeker! eer verftuivt een Rots in lugtig ftof,
Dan dat het hylig Recht oit in haar' trouw zou miffen.
Bevinding zal BICHON ten vollen vergewiffen,
Die op zyn vlyt verkrygt van welverdienden lof
Een reeks Getuigeniffen.

Elk roemt in 't Leydfch Atheen zyn luft tot Wetenfchap,
Zyn' Wakkerheid om keur van Boeken te doorblad'ren,
En Honig van den tong der Leeraars op te gad'ren,
Die hem nu plaatfen op den hoogen Eere-trap,
By zyn' beroemde Vad'ren.

Ge-

Geluk! Iö! Triumph! zyn Werk is afgedaan:
Heeft hy den ſtryd geſtreen; hy heeft den prys gewonnen,
Die Wein'gen met dien lof, als hy behalen konnen.
Gy putte niet vergeefs, ô ruſt'loze ADRIAAN!
Uit uw' Geleerdheids bronnen.

Ga heen: de Rotte en Maas zien op uw aankomſt uit;
De zilv're Vlietſtroom vloeit gezwind om U te voeren;
De Schie, wiens golfjes zig langs Delflands boorden ſnoeren,
Verblydt zig, wachtende U met kabbelend geluit
Een effen pad te vloeren.

Ja! 't volkryk *Rotterdam* juicht U luidruchtig toe,
Staatmakende op uw hulp tot redding van 't verdrukte,
En ſtaving van het Recht, zo 't voor verkeerdheid bukte,
't Verlangt reeds hong'rig na de voorſmaak, bly te moë,
Der Vruchten, die gy plukte.

Ga! 'k wenſch, dat ge eerlang met 't aanzienlykſt Eer-ampt pryk',
Daar voor uw Naam ſteeds eer, uw beurs veel Ducatonnen,
Voor uw Perſoon voor al een Maagd door word' gewonnen,
Door welkers echt vermeer' het Burgermeeſterlyk
Geſlachte der BICHONNEN.



Uit Achting.